


6
5 L
29


SELECTA
NVMISMATA ANTIQVA
EX MVSAEO
IACOBI DE WILDE


ROMA

SELECTA NUMISMATA ANTIQUA;

EX MUSÆO

JACOBI DE WILDE.









AMSTELODAMI,

Sumptibus Authoris. CIϽ IϽC LXXXXII.

LECTORI.



X quo tempore Numiſmatum & *Romanorum* & *Græcorum* collectiones aggreſſus fui, mox ut elegantiora & rariora nonnulla ſeligerem, explicarem, populoque ederem mea ſpectavit induſtria. Virtus, ſecundum *Claudianum*,

quid enim ſubmerſa tenebris
Proderit? obſcuro veluti ſine remige puppis,
Vel lyra quæ reticet, vel qui non tenditur arcus.

Profectò & ſic meum mihi Gazophylacium gravans & moleſta foret ſarcina. Habes hîc libelli divulgandi pulcram cauſam; verum & ordinem accipe.

Diviſio nempe facta in Reges & Regna: Regumque ſeries apud *Amyntam Macedonem*, *Alexandri* avum, ſuos carceres; verum ponè *Agrippam Judæum*, *Philoclaudii* filium, ſuas habet metas. Regna tamen, Regiones, & Oppida ordine illo prorſus deſtituuntur, cum non Sculptor,

Artifici pingens vix imitanda manu,

in exprimendis Numiſmatibus ſcripta; verum ſcripta, enarrando & explicando, Sculptorem ſint ſequuta. Ordini ergò quadantenus confuſæ, pie Lector, ignoſcas.

Hactenus de dramate, tranſeamus ad epiſodia; quæ quadruplicia.

L E C T O R I.

1. Græcæ litteræ, Nummorum exhibitorum modulos diligenter indicantes; quas in commentariorum calce insignis clypeus, circulis distinctus, jucundè colligit & explicat.

2. Notæ AU, AR, & Æ, metalli percussi speciem, h.e. aurum, argentum, & æs, sollicitè demonstrantes.

3. Mappa Geographica, marium terrarumque innumeris appellationibus rejectis, ea solummodò exhibens, quæ 153 Numismatibus hisce leguntur inscripta.

4. Schema Gazophylacii quadruplex.

Hæc autem, sicut & Nummorum nitidissima pictura, procul dubio non displicebunt: sed si hic noster lucubrationum, suspicionibus & opinionibus refertissimarum, rivulus sitim non expleat? cujus autem? quippe *Zoilorum* nigra gens procul abscedat licet, cui pro me *Martialis:*

Vaticana bibas, si delectaris aceto,
Non facit ad stomachum nostra lagena tuum.

quid tum? *Cecropiæ* saltem *Latiæ*que *Minervæ* artibus madidi, oro & exoro, ea pervolvant, laudent, atque amplectentur. Placeant hæc tibi, sagacissime *Spanhemi*, tibi gratissime *Patine*, tibi felicissime *Begere*, tibique qui *majorem dierum partem in æruginosis lamellis* (verbis utor *Senecæ*) *consumis.*

Certè vota transcenderem mea, si libellus hic, qualiscunque etiam, inter hosce obambulans, serenâ fronte lætoque vultu, *Martialis* benigniore carmine me sic compellaret:

Meque sinus omnis, me manus omnis habet!

AD

A D
JACOBUM WILDIUM.


ILDI delicium novem ſororum,
Phœbi delicium, polite WILDI,
Quidquid Græcia poſſidet vetuſti,
Et quidquid Latium reliquit orbi,
Hoc tu ſcriniolo recludis uno.
Quod mirabitur eruditus omnis,
Et quantum eſt hominum elegantiorum,
Qui, ſi fas ſinat, invidere vellent.
At tu, perge ſequi, polite WILDI,
Iſtas innocuas amoenitates,
Quas odiſſe nequit, niſi inficetus,
Et qui barbariem colitque, amatque.
Adeſte, o Siculi venite nummi,
Græciæ veteris venite nummi,
ÆTERNÆ monumenta docta ROMÆ.



Creſcite WILDIADÆ, (ſic opto) creſcite gazæ,
  Et Domini docti tollite ad aſtra decus.
Sex annis cui ſuccrevit tam rara ſupellex,
  Quid fiet, ſi tot vivere luſtra datur?

HIERONYMUS GUILIELMUS
SNABÉLIUS,
Eccleſiaſtes Daventrienſis.

IN NUMISMATA SELECTA,

In lucem edita

a Cl. Viro & summo Antiquario

JACOBO DE WILDE.

ROMA, triumphati caput orbis & orbis ocelle,
Terrarum domitrix, Imperiique domus,
Gloriaque antiquis ingens superaddita sæclis,
Heroumque parens, Martis & artis honos;
Ergo, per illustres toties celebrata triumphos,
Inclyta tot titulis, ergone, ROMA, jaces,
Et periit, fugitque tui splendoris imago,
ÆTERNÆque URBIS nil nisi nomen habes?
Fallor, an antiquâ cum majestate resurgens,
Factaque ruderibus celsior ipsa tuis,
Tollis ad astra caput, tollis delubra Deorum,
Et Capitolino mænia sacra Jovi,
Vectaque quadrijugo victrix super æthera curru
Conjicis hostiles in tua vincla manus,
Quæque diu domuit, Romana potentia, gentes
Exsilit è busto jam rediviva suo?
Sic erat. Ausonium Batavus delatus in orbem
Relliquiis gaudet te superesse tuis.
WILDIUS, ingenuas jam dudum factus ad artes,
Delicium patriæ, deliciumque domus,
Sedulus interpres antiqui WILDIUS ævi
Ecce tuis titulis officiosus adest.
Eruit ille tuæ solers monumenta senectæ,
Noctis in ignavo quæ latuêre sinu;
Victrices aquilas & dignos Consule fasces;
Votaque Tarpejo rite soluta Deo,
Cæsaris aut sacram cingentem tempora laurum,
Et data votivis thura merumque focis,
Duraque devictâ Reges cervice gerentes
Vincula & ante tuos hostica signa pedes,
Telaque, thoracesque & fractum in vulnere ferrum,
Quique triumphales luxuriantur equi;
Quicquid in Ausoniis olim mirabile Fastis,
Quicquid Romanæ nobilitatis erat,
Lethæis fælix reclùdit WILDIUS umbris,
Jamque tibi cultu splendidiore places:
Emicat è sacris nomen venerabile nummis,
Emicat Imperii gloria prisca tui.
Etruscum Batavis Tiberim qui sisteret arvis
Romano nasci sanguine dignus erat.

CASP. BRANDT,
Ger. Fil.




35 65 70 75
45 45
Amisus
Amasia
GALATIA
Gab
Roma
40
Cæsarea
40
Tarsus
Edessa
Seleucia
Antiochia
35
Berbœa
35
Tyrus
40 60 65 70
Hadr. Schoonebeek F.

SELECTA NUMISMATA ANTIQUA.

TABULA PRIMA.

REGES.

I, II, III, IV. AMYNTAS.



Myntæ regis caput, *leonis* rictu contectum.

AMYNTA, in primo (nam ut omnium typi diversissimi sic & inscriptio varia) ΠΥΔΝΑΙΩΝ, (quorum quidem numerus rarior) in secundo; ΠΥΔΝΑΙΟΝ, in tertio; & in quarto (plenioris toni & εὐφωνίας ergo, inserto τὸ Ν) ΠΥΝΔΝΑΙΩΝ. Aquila, rostro petens serpentem calcatum.

Amyntas hic *Philippi* pater, & *Alexandri Magni* est avus, in *Macedonicorum* Regum serie ejus nomine quartus: hîc ut juvenis; at, apud *Canini*, 83 imag. & *Begerum*, 112 pag. senex occurrens. Ille fractis opibus, ingenti prælio, sævienti

Fortunæ cedens, imperium deserere decreverat: verum monitus honestissimam sepulturam esse regnum, convocatis undique auxiliis, spacio trimestri, *Macedoniam* omnem sibi subjecit, & provectâ ætate postmodum obiit: narrante *Isocrate* oratore, in *Archidamo*.

Leonis exuviis caput ejus velatur, ex Heroum antiquo more, vacua ora *leonum* ferarumve aliarum, galeæ loco, usurpantium. *Stat. Papin.* 1 & 7 *Theb.* sed præsertim *Virgilius*; qui sic de *Aventino* Æn. 7 lib. 666 vers.

> *Ipse pedes, tegimen torquens immane* leonis,
> *Terribili impexum setâ, cum dentibus albis*
> *Indutus capiti, sic regia tecta subibat*
> *Horridus*, Herculeo*que humeros innexus amictu.*

Hic tamen in specie *leonis* pelle est indutus, ut, per *Caranum Argivum*, ab *Hercule* leonicidâ trahens originem. De eo *Ausonius*, 19 epist. ad *Pont Paulinum*.

> *Et* Caranum, Pellæa *dedit quæ nomina regum.*

Et *Livius*, 45 lib. *Justinus*, 7 lib 1 c. *Solinus*, 14 c. de *Macedoniâ*.

Aquila, in aversâ nummulorum areâ, calcans anguem, est vel urbis regisve symbolum & insigne, vel prodigium quoddam Regi fortasse oblatum.

Si symbolum; notat ab *Amyntâ* domitam *Thessaliam*, in quâ, tradentibus *Solino*, 53 c. & *Luciano* in *Pseudamante*, serpentum immanis est copia. Ita & *Areus*, *Lacedæmonio-*

rum rex tertius, *Oniæ Judæorum* pontifici ſcribens, ſignabat litteras *aquilæ anguem* retinentis ſymbolo; vide *Joſephum*, 12 lib. 5 c. Antiq. *Judaic.*

Si verò prodigium; concurrit cum illo Conſulis *C. Marii*, apud *Ciceronem*, 1 lib. Divinat.

Hîc Jovis *altiſoni ſubitò pennata ſatelles,*
Arboris è trunco ſerpentis ſaucia morſu,
Subigit ipſa feris transfigens unguibus anguem
Semianimum, & vari i graviter cervice micantem.
Quem ſe intorquentem lanians, roſtroque cruentans,
Jam ſatiata animos, jam duros ulta dolores,
Abjicit efflantem, & laceratum affligit in unda.

Vel *Honorii* imperatoris, *Gildonem*, perfidum ipſius tutorem, debellantis, apud *Claudianum* B. *Gild.* 476 verſ.

Omina conveniunt dicto: fulvusque Tonantis
Armiger ad liquidam, cunctis ſpectantibus, æthram
Correptum pedibus curvis innexuit hydrum.
Dumque reluctantem morſu partitur *adunco*
Hæſit in ungue caput: truncatus decidit anguis

Interim de *Aquilæ* & *Serpentis* inimicitiis (ſpectantur & apud *Leonard Agoſtini*, 2 part. 197 imag. in agathâ nerâ; in variis ſepulcris apud *J. Jac. Boiſſardum*, Topograph. *Romæ*: denique in plurimis nummis *Siculis* apud *Tarutam*) nolo hîc cuncta repetere ex *Plinio*, 2 lib. 39 cap. *Homero*, 12 *Iliad.* *Horatio*, 4 lib. 4 od. *Virgilio*, Æn. XI, 751 verſ.

 Ovi-

Ovidio, 4 Metam. 713 verf. *Silio*, 12 lib. B. *Punic.* *Nicandro*, in Theriacis; imò & B. *Ambrosio*, lib. de *Salomone*, 4 cap. occurrentia.

Pydna denique *Macedoniæ* eſt urbs, in regione *Pïëriâ*, ad *Aliacmonis* fluminis, in *Thermäicum* ſinum ſeſe exonerantis, oſtium. De quâ *Strabo* in Excerptis, 7 lib. *Citrum* hanc nominans (unde & hodiè dicta *Chitro*, ſecundum *Sophianum*) *Ptolemæus*, 3 lib. 13 c. &c. Ad hanc urbem deducitur profugus *Themiſtocles* ab *Admeto Moloſſorum* rege; apud *Corn. Nepotem*, *Themiſt.* 8 c: ejusque muris incluſam *Olympiadem*, *Alexandri* matrem, necat *Caſſander*, apud *Juſtinum*, 14. lib. 6. c: ad eam denique *Perſeum*, *Macedoniæ* poſtremum regem, prælio vincit *Paul. Æmylius*, apud *Livium*, 44 lib. 6 c.

Obſervet autem hîc Lector apud Antiquarios nuſquam, ni fallor, Numismata occurrere, cujuſcunque metalli, hac in urbe percuſſa; quod noſtrorum nummulorum raritatem mirè commendat: nempe quos, nuper, anno 1685, amicus noſter THEODORUS *van* HAGHE, in *Macedoniâ*, circa *Theſſalonicam*, (ad numerum 468) in urnâ lateritiâ, intrà perantiquum monumentum invenit, noſtroque eruditæ antiquitatis reconditorio lubenter inſeruit.

V. PHILIPPI.

Herculis caput, *leoninâ* pelle velatum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ. h. e. Regis *Philippi*: Clava, coronaque è ramis *querneis* complexa.

Leonina pellis illa eſt, nullo ferro penetrabilis, Nemæi le-

leonis, quem, 16 vel 18 annos natus, non, manibus ejus rictu diducto, (prout imperiti fingunt pictores) laceravit, sed pectoris attritu suffocavit. Sic enim *Statius*, de *Hercule* Epitrapez. 4 Sylv. 40 vers.

Hoc pectore pressus
Vastator Nemees.

Et *Theb.* 6 lib. 270 vers.

Primus anhelantem duro Tyrinthius *angens*
Pectoris attritu sua fregit in ossa leonem.

Hic ut plurimum senex, & barbatus, imò & calvus (in ceto enim per tres dies noctesque delitescens, ex ejus calore calvitiem contraxit, docentibus Mythologis) subindè tamen in Numismatibus adolescens & imberbis exhibetur; *Iovis* ex *Alcmenâ* filius, cujus duodecim labores *Ausonius* carmine elegantissimo est complexus, quod selectissimis hîc nummis illustratum lectoris oculo subjicere visum fuit:

1. *Prima* Cleonæi *tolerata ærumna* leonis.
   Spectatur in *Getæ*. Patin. 318.
   Maximiani Herculei. Patin. 444 pag.
   Constantini. Patin. 464 pag.
2. *Proxima* Lernæam *ferro & face contudit* hydram.
   In *Macrini.* Tristan. 301 pag.
3. *Mox* Erymanthæum *vis tertia perculit* aprum.
   In *Posthumi.* Morell. 8 Tab. 4 Num.
   Maximiani. Tristan. 358 pag.

4. *Aëripedis quarto tulit aurea cornua cervi.*
In *Macrini.* Triſtan. 299 pag.
Maximiani. Triſtan. 365 p.

5. Stymphalidas *pepulit volucres diſcrimine quinto.*
In Marmore *Græco* Oxonienſi, apud *Seldenum*, 275 p.
Cuperum in Apotheol. Homeri 261 p.
Nummi enim hac imagine deſtituuntur.

6. Threjiciam *ſexto ſpoliavit Amazona baltheo.*
In *Macrini.* Triſtan. 297 pag.

7. *Septima in* Augiæ *ſtabulis impenſa laboris.*
Nummi carent imagine, cujus vicem ſupplet pictura *Antæi* ſuffocati, in *Poſthumi.* Morell. 8 Tab. 3 N.

8. *Octava expulſo numeratur adorea tauro.*
In *Caracallæ.* Patin. 302 pag. Erizzo.
Gordiani. 693 pag.

9. *In* Diomedæis *victoria nona quadrigis.*
In *Antonini.* Triſtan. 609 pag.

10. Geryone *extincto decimam dat* Iberia *palmam.*
Deſideratur in Nummis.

11. *Undecimum mala* Heſperidum *deſtricta triumphum.*
In *Antonini Pii.* Erizzo, 462 pag.
Albini. Triſtan. 49 pag.
Getæ. Triſtan. 285 pag. Erizzo, 634 p.

12. Cerberus *extremi ſuprema eſt meta laboris.*
In *Antonini* Pii. Erizzo, 460 p.
Gordiani. Triſtan. 543.

Clava

Clava Herculis est telum & insigne, ex oleastro ad paludem *Saronidem* in Argiâ Peloponnesi abscissâ, docente *Apollonio* in *Argonauticis*, apud *Car.* *Pascalium* de Coronis, 6 lib. 407 pag.

Corona *quernea Iovem* respicit; quippe *quercus* ipsi sacrata arbor, teste Ovidio, Metam. 7 lib. 621 vers.

Forte fuit juxta patulis rarissima ramis
Sacra Jovi *quercus, de semine* Dodonæo.

Videatur quinetiam & ipsius Metam. 1 lib. 106 vers. & 10 lib. 90 vers. *Virgilii*, 2 Georg. 68 vers. *Phædri* 3 lib. 17 Fab. &, præter *Plinii*, 16 lib. 4 c. *Joh Meursii* filii Arboreti Sacr. 1 lib. 2 c.

Philippus autem *Herculem* in Nummo ponit, ut generis authorem per *Caranum*; sicuti modò dictum.

VI.

Philippi regis imberbe caput, spolio *leonino* contectum, propter rationes modo traditas.

ΦΙΛΙΠΠΟΥ. h. e. *Philippi: Iovis* fulmen, & *Herculis* clava & arcus.

Fulmen vel *Iovis Olympii* apud *Macedonas* cultum perantiquum, & jam ab *Archelao* gentilitium, indicat: de hoc autem *Arrianus, Alexand.* Expedit. 1 lib. 30 c. & *Iustin.* 24 lib. 2 & 8 c. vel *Alexandri* cœlestes natales respicit; de quibus *Iustinus*, 11 lib. 4 c. *Solinus*, 14 c. *Gellius*, 13 lib. 4 c. & *Lucianus*, in mortuor. Dialogo.

De *Clava* superius dictum; *arcus* & sagittæ, altera ejus.

ejus arma: quibus peremit *Nessum*; *Ovid.* Metam. 9 lib. 102 & 127 vers. *Peryclimenum*; *Ovid* 12 Met. 564 vers. *Stymphalidas* aves; *Hilas.* in Catalectis *Virgilianis*. Aquilamque miserum *Promethea* excruciantem; *Æscyl.* in *Prometheo*.

Hinc eum *Statius* alloquitur, 3 Sylv. *Herc. Surrentin.* vers. 34.

> *Pone truces* arcus, *agmenque immite* pharetræ,
> *Et regum multo perfusum sanguine* robur.

Hujus autem Regis acta publica & privata, è *Diodoro*, *Iustino*, aliisque petita, optimè in unum corpus redegit ad *Goltz. Græciam Ludov. Nonnius.*

VII.

Philippi, leonis pelle vestiti, caput.

ΦΙΛΙΠΠΟΥ; Eques gradiens dextramque elevans.

Equitem certè nummis imposuit rex *Philippus*, vel ut nominis (φίλιππος enim *equos amans*) exprimeret naturam; vel ut reverà amorem & studium circa equos ostenderet. Testatur enim *Iustinus*, 9 lib 2 c. *Scythis* devictis, eum viginti millia nobilium equarum, ad genus faciendum, in *Macedoniam* misisse. *Macedoniæ* autem, ut & *Thessaliæ*, circà *Larissam* & *Pellam* & *Magnesiam* præcipuè, pascua ad alendos equos laudatissima & nobilissima fuêre. *Plin.* 7 lib. 56 c. *Gratiani*, Cyneget. *Virg.* 3 Georgic vers. *Lucan.* 6 Pharsal. 385 & 395 vers.

Dextra elata securitatem, pacem, & salutem significat; quemadmodum in nummis *Cæsareis*, *Hadriani* nempe apud

apud *Iof. Monterchium* ad *Carpegnæ* 14 N. imò & in æreis ſtatuis *Domitiani* & *Marci Aurelii* ſpectatur.

VIII.

Apollinis radiatum caput.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ: ΔΙ regis *Philippi*: anno regni 14. Fulmen alatum, intrà *Querneam* coronam.

Area adverſa reſpicit *Apollinem Delphicum*, bellumque *Sacrum*, inter *Theſſalos Thebanosque* cum *Phocenſibus*, propter hujus numinis temerè ſpoliatum fanum, geſtum: in quo *Philippus*, ſacrilegii ultoris perſonam callidè ſuſtinens, ómnes milites è *lauro* (*Apollini* ſacrâ arbore) coronas ſumere juſſit; quibus Dei inſignibus conſpectis *Phocenſes* territi fugam capeſcunt, violatæque religionis pœnas pendent. *Juſtin.* 8 lib. 2 c. *Pauſan* in *Phocicis.*

Hinc non tantum in aliis ejus Nummis apud *Goltz.* 30 Tab. *Apollinis Tripus* cernitur: verum ipſe rex, ſacrilegii vindex & religionum ultor, *lauro* redimitus in conſpectum prodit.

Averſa vero *Jovem*, *Macedonum*, ſicuti diximus, gentilitium numen; de cujus coronâ diverſa ſcriptorum loca ad quintum numisma coacervavimus; quibus adde & *Ovidii Triſt.* 3 lib. 1 eleg.

Et Jovis *hæc, dixi, domus eſt: quod ut eſſe putarem*
Augurium menti Querna *corona dabat.*

Fulmen, *Jovis* telum, à *Vulcano* fabricatum, vulgò *trifidum* fingitur & pingitur. Res è poëtis nota, ſed maximè ex *Virgilii Æneid.* 8 lib. 426 & ſeq. verſ.

His (Cyclopibus) *informatum manibus jam parte politâ*
Fulmen *erat* (*toto Genitor quæ plurima cœlo*
Dejicit in terras) *pars imperfecta manebat.*
Tres *imbris torti radios*, tres *nubis aquosæ*
Addiderant, *rutili* tres *ignis & alitis austri.*

Vide & *Senecam*, qui, Natur.Quæst. 2 lib. 14 c.quoque *Jovi tres* manubias tribuit.

Alibi tamen (nempe in nummis *Regiis Cæsareisque* tum *Græcis* tum *Latinis*) quoque *Divinitatis* & *Consecrationis*, sive *Providentiæ*, sive & *Imperii summi* symbolum. Nisi mavis *Fulmen Belli* typum esse, alasque significare *celeritatem*, quà feliciter illud est finitum: quo sensu hoc verbo Virgilius usus est, Georgic. 4 lib. 560 vers.

Cæsar *dum magnus ad altum*
Fulminat Euphratem *bello.*

Iterumque Æneid. 6 lib. 842 vers.

Quis Gracchi *genus aut geminos*, *duo* fulmina *belli*,
Scipiadas?

Quod ad litteras numerales attinet, invenimus hasce in plurimis nummis vetustioribus apud *Ioh. Vaillant*, in Regn. Seleucidar. & *Lud. Begerum*, in Thesaur. ita dispositas:

Α	Β	Γ	Δ	Ε	Ζ	Ξ	Η	Θ	Ι	Κ	Λ	Μ	Ν	Ξ	Ο	Π	ϙ	Ρ	Σ.
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	20	30	40	50	60	70	80	90	100	200:&c.

Usus tamen consistit in, more *Phœnicum*, notarum invertendo ordine; nam, ex gr: ΒΙ. est 12; ΓΙ, 13; ΔΙ, (ut in hoc nummo) 14; atque ita deinceps.

TA-

TABULA SECUNDA.

IX.

OLympii *Jovis* caput *barbatum*, & *oleâ*, (quantum ex tenuitate foliorum conjicere licet) coronatum.

ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *N. Philippi. Alexander* adoleſcens, nudus, *Bucephalo* gradienti inſidens; inter equi pedes poſito *fulmine.*

De *Jove*, ejusque ſacris jam anteà ab *Archelao* rege inſtitutis, & veterrimæ *Macedonum* religionis templo, ſcripſimus ad ſextum nummum.

Ille *barbatus* à ſtatuariis effictus, *Luciano* monente, lib. de Sacrificiis. At en de *barbâ Prudentii* inſignem locum, 271 verſ. Hymni de *Romano* martyre:

Ars, ſeminandis efficax erroribus,
Barbam *rigentem dum* Jovis *circumplicat,*
Injecit atram territis formidinem.

Nam & *imberbis* colitur & pingitur, *Vejovis*, h. e. parvus & juvenis *Jupiter* tum dictus; qui, capræ inſidens, occurrit in *Valeriani Cæſaris* nummo, apud *Triſtanum*, 118 pag. de cujus etiam ſimulacro, apud Ægienſes, *Pauſanias*, Achaïc. præter *Authorem* M. Etymolog. *Feſtum*, *Servium* ad *Æneid.* & *Ovidium*, 3 *Faſtor.* 437 verſ.

Jupiter *eſt juvenis, juveniles adſpice vultus,*
Adſpice deinde; manu fulmina nulla tenet.

Olea *Jovem Olympicum* significat, cui sacra facit *Alexander*, in *Macedoniam* reversus, apud *Arrianum*, 1; 30. Eum enim *oleagineam* coronam gestasse, in *Eliacorum* lib. prior. testatur *Pausanias.*

De *Bucephalo* autem, famigeratissimo illo equo, varii variè. Consule *Raderum*, Prolusion. 8 c *Lipsium*, epist. ad *Belgas*, 3 lib. 6 epist. *Camerarium*, Subseciv. 1 lib. 21 c. præter *Ælianum*, H. Var. 6 lib. 4 c. & rerum gestarum *Alexandri Magni* descriptores. Emptus erat 13 talentis, secundum *Gellium*, Noct. Attic. 5 lib. 2 c. vel 16 talentis, h. e. novem millibus sexcentis aureis, secundum *Plinium*, H. Natur. 8 lib. 42 c. ortu *Thessalus*, docente *Plinio* 8 lib. 24. *Thessaliam* autem nobilium equorum greges, multis in locis, laudabiliter aluisse, ad septimum Num. ex idoneis authoribus probavimus. Nomen habuit vel ab aspectus torvitate *bovinâ*, vel ab insigni, h. e. *taurino* capite armo ipsius inusto, vel potius quod de fronte ipsius quædam *corniculòrum* protuberarent minæ; tradentibus *Plinio*, 8 lib. 42 c. & *Solino* 45 c. Domiti (domandi modum narrat in *Alexandro Plutarchus*) memoriam servat Numisma apud *Goltz. Græciæ* 34 Tab. 15 Num. & apud *Patin* Thesauri, 135 pag.

Fulmen equi ventri suppositum *Iovis* indicat antiquum cultum, de quo nihil repetimus.

X.

Palladis caput, cristatâ galeâ, (quam ambit *oleâ*) tectum.

Alexan-

Alexander, veſtitus, & chlamydatus, ſubſilienti *Bucephalo* inequitans. Inſcriptio fortaſsè detrita.

Pallas, cognomento *Alcidas*, h. e. *Heraclea, Macedonum* numen gentilitium. Cui centum hoſtiis ſacrificium regaliter conficit, antequam cum purpuratorum & ſatellitum manu *Citium* proficeretur, poſtremus eorum rex *Perſeus. Livi.* 42 lib. 51 c. Præſertim tamen eam veneratus eſt *Alexander*, ut *Græcorum* perpetuam fautricem. Juvit enim illos, certè *Achillem* (*Olympiadis* proavum) & *Ulyſſem* contra exoſos, jam à *Paridis* judicio, *Trojanos*; ut *Homerus*, ejusque feliciſſimus imitator *Virgilius*, immortali carmine teſtantur. Verbo *Ovidius*, Triſt. 1 lib. 2 eleg.

Mulciber *in* Troiam, *pro* Troia *ſtabat* Apollo,
Æqua Venus Teucris, Pallas *iniqua fuit.*

Ita, victoriâ alicubi potita, continuò ipſi ſacra facit *Alexander*, apud *Curtium*, 3 lib. 12 c. 3 lib. 13 c. & 8 lib. 2 c. & *Arrianum*, 1 & 6 lib.

Huic autem ſacra *olea*, quam è terrâ produxit in certamine cum *Neptuno* de *Athenarum* poſſeſſione & nomine. Docet, præter Mythologos, *Ovidius*, Metam. 6 lib. 80 verſ.

Percuſſamque ſuî ſimulat de cuſpide terram;
Edere cum baccis fœtum canentis olivæ.

Hinc & ſubinde, in nummis, hæc dea in caſſide geſtat, vel dextra manu tenet, *oleæ* ramum; quæ cum pacis hæc ſit ſymbolum, ſic illa tunc MINERVA dicitur PACI-

FERA; ex gr. in nummo *Albini*, apud *Alb. Rubenium*, ad Nummos *Arschotanos*. 52 Tab. 23 N.

De *Bucephalo* jam dictum abunde; verum de hujus *interitu* consule diversimodè narrantes *Arrianum*, 5 lib. *Ælianum*, 5 lib. 6 c. *Curtium*, 8 lib. 14 c. & *Plutarchus* in vitâ.

XI. OLYMPIAS.

Olympiadis reginæ facies, *Philippi* infidæ conjugis, & *Alexandri* animosæ matris.

Bucephalo inequitans *Alexander*. Inscriptio certò certius, inclementiâ temporis, erasa.

Ea in pueritiâ dicta *Myrtale*, *Iustin*. 9 lib. 7 c. *Alexandrum* concepit absente *Philippo*, scilicet ex *Iove Lybico*, h. e. *Ammone*, in anguem converso. *Iustin*. 11 lib. 11 c. *Lucian*. in Mortuorum Dialog. &c. Quod & de suâ matre *Romulâ* insolenter affirmare ausus est Imp. *Galerius Armentarius*. *Sex. Victor*, in Epit. Sed, an non ipsa *Scipionis* mater talem cum Jove concubitum fatetur, apud *Silium* ? B. Punic. 13 lib.

Sola die caperem media cum fortè petitos
Ad requiem somnos, subitus mihi membra ligavit
Amplexus, non ille meo veniente marito
Assuetus, facilisque mihi: tum luce corusca
Implebat quanquam languentia lumina somnus,
Vidi (crede) Jovem, *nec me mutata fefellit*
Formà dei, quod squalentem conversus in anguem
Ingenti traxit curvata volumina gyro.

Sal-

Saltem, ignominiæ velandæ gratiâ, fabulam excogitavit; marito tamen (ejus quoque impulsu) perempto, facta impudentior adseverationem *Alexandri*, *Iove* se genitum credi volentis, irrisit. *Gell.* Noctium Attic. 13 lib 4 c. *Ælian.* 9 lib. 37 c. *Solin.* 14 c. Nihilominus ab *Alexandro* filio tantopere fuit dilecta, ut eam immortalitati consecrare decreverit. *Curt.* 9 lib. 6 c. Sed, post hujus mortem, *à Cassandro*, familiæ regiæ infensissimo hoste, violentissime persequuta, intra *Pydnam* conclusa, &, post urbem traditam, indecore est interfecta. *Iustin.* 14 lib. 6 c. & *Diodor.* 19 lib. 35 c.

XII. ALEXANDER.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Alexandri Magni* caput, ex more gentis, leonis rictu tectum, & (secundùm ipsius institutum. *Plut.* in *Theseo*) imberbe.

ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ, h. e. *Commune sacrum Macedonum.* *Pallas* sedens, & dextra *pateram*, lævâque nodosum *sceptrum*, retinens.

De *Pallade*, ejus tutelari numine, suprà ad decimum N.

Sceptrum tenet illa nodosum, quale gestat *Iupiter* in Numismate *Græco Alexandri*, apud *Choulium*, Relig. Ant. 43 pag. & in denario *Vibiæ* gentis, apud eundem, 61 pag.

Patera ludos theatrales significat & *certamina*, in honorem *Palladis*, à totâ *Macedoniâ*, celebrata. Vide similem communionem, ratione sacrorum certaminum, in nummis *Bithyniensium*, *Galatarum*, *Phrygum*, & *Cretensium*. Horum autem præsides Bithyniarchi, *Asiarchi*, &c. occupati.

XIII.

XIII.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, *Alexandri*: Regis hujus iterum, leoninis exuviis armatum, caput.

ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ, *Commune* Macedonum *sacrum: Alexandri*, lævâ gemina tela retinentis, & dextrâ leonem telo transverberaturi, imago equestris.

Leonis ab *Alexandro* in venatione perempti insignis memoria. Unde per quam egregiè illustratur hic noster Nummus *Plutarchi* loco,in vitâ *Alexandri*;quem sic transfert *G. Xylander: Igitur laborem intendit, in expeditionibus & venationibus subigens corpus suum & periculis exponens; ut* Lacon *legatus, qui assistebat, quum conficeret grandem leonem, diceret:* Macte *Alexander*, istâ cum leone de regno pugna! *Hanc venationem* Craterus Delphis *dedicavit, ac simulacra ex ære leonis, canum, Regis cum leone congressi, & suum ei succurrentis, facienda, locavit: quorum* Lysippus *partem, partem fecit* Leochares. Videatur & de hac *Crateri* dedicatione *Plinius*, H. Nat. 34 lib. 8 c.

Verum venationem hanc distinctius enarrat *Alexandri* gestorum non infimus commentator *Q. Curtius*, 8 lib. 1 c. *In regionem*, hæc ejus verba, *quæ appellatur* Balaria, *pervenit. Barbaræ opulentiæ in illis locis haud ulla sunt majora indicia, quam magnis nemoribus nobilium ferarum greges clausi.* Et mox. Alexander, *cum toto exercitu saltum ingressus, agitari undique feras jussit. Inter quas cum leo, magnitudinis raræ, ipsum Regem invasurus incurreret, forte* Lysimachus, *proximus* Alexandro, *venabulum objicere feræ ceperat. Quo rex repulso, & abire jusso,*

jusso, *adjecit*: Tam à semet uno, quàm à *Lysimacho*, leonem interfici posse, &c. *Feram non excepit modo*, *sed etiam uno vulnere occidit*. Hactenus Curtius.

Similem venationem exhibet in Imperatoris *Hadriani* Nummo *Tripolitano* *Tristanus*, 517 pag. in quo venator ille felicissimus (*Spartian.* 2 & præsertim 26 c.) *Borysthenis* (equo ipsius peramato) insidens venabulum vibrat, clypeumque protendit adversus leonem, armos equi dentibus invadentem.

Sic in militari viro (certè apud *Plutarchum* in *Pelopida*, iterumque in *Philopœmene*) maximè commendatur eum, per remissionum intervalla, venationibus studere, seque hoc labore ad bellum durare: unde & de *Stilichone*, Imperatoris *Honorii* socero, sic *Claudianus*, 1 lib de laud. *Stilich.* 64 vers.

Si quando sociis tecum venatibus ibant,
Quis Stilichone *prior ferro penetrare leones*
Cominus, *aut longè virgatas figere tigres?*

Verum de venatione, heroïco regioque studio, consulantur *Jul. Pollux*, in præfat. ad Onomastic. 5 lib. *Cicero*, de Natur. Deorum, 2 lib. *Aristoteles*, 1 Politic. 4 c. præter *Wolfgangum Lorisecam*, Orat. in laudem Venationis.

De Festis, ludis, certaminibusque, communi regionis sumptu, saltem consensu, celebratis, supra ad duodecimum N.

XIV.

Alexandri caput, leonis exuviis itidem velatum.

ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΝΕΩΚ. Β. *Commune* Macedonum, *ſacrarum curatorum ſecundò*: Palmæ è ciſtis abaco impoſitis emergentes.

Palma, ἐμπεδόφυλλος, h. e. *perpetuis frondibus virens*, pondere ſuperpoſito non deorſum flectitur, verum in contrarium curvatur. *Gellius*, Noct. *Attic.* 3 lib 6 c. *Ariſtoteles*, Problem. 7 lib. *Plutarchus*, Convival. Quæſtion. 8 lib. Hinc victoribus traditur, quod non ceſſerint, ſed in bello pertinaces perſtiterint. Quin imò (apud *Pauſan.* in *Phocicis*) æneam Palmam cum *Minervæ* ſigno inaurato dicant *Athenienſes*, duplicis victoriæ monimentum, quâ, una eademque die, erant potiti ad *Eurymedontem* in *Pamphyliâ*, pedeſtri acie, & navali pugna, proſperè in eo flumine commiſsâ. Cum verò alii ludi peculiares habeant arbores vel herbas, quibus victores ornabantur; nimirum laurum, oleam, myrtum, & apium: hæc communis omnium ſacrorum certaminum præmium; de quâ ſic *Martialis*, 10 lib. 50. epigr. in obitum *Scorpi*, nobiliſſimi aurigatoris, in Circenſibus.

Frangat Idumæas *triſtis* Victoria *palmas*!

& explicatius *Claudianus*, 3 lib. de laud. *Stilich.* 203 verſ.

Cum totis exſurgens ardua pennis
Ipſa Duci ſacras Victoria *panderet ædes*!

O

O palmâ viridi gaudens, & amicta tropæis
Custos imperii virgo, quæ sola mederis
Vulneribus, nullumque doces sentire laborem.

Ciſtæ vel urnæ ſunt eæ ipſæ quæ, in certaminibus, ſorte primum, ſecundum, atque ita deinceps, locum tribuebant. De his *Sidon. Apollinaris*, 23 carm. 315 verſ.

Et te jam urna petit, ciëtque raucæ
Acclamatio ſibilans coronæ.

De communi *Macedonum* ſacro ſupra. Verum hic Nummus eos ſecundò Neocoros fuiſſe demonſtrat. Eſt autem ΝΕΩΚΟΡΟΥ vox à diverſis diverſimodè intellecta; ex gr. ab *Hub. Goltzio* ad *Siciliæ* Numm. 325 pag. à *Ludov. Nonnio* ad *H. Goltzii Græc.* 145 & 180 pag. *Joach. Oudano*, Potentiæ Rom. 2 colloq. 95 pag. *Oth. Sperlingio*, ad *Furiæ Sabinæ Tranquillinæ*, *Gordiani* tertii, conjugis *Germenſe* numiſma, 60 pag. *Albert. Rubenio*, in Diatribe de urbibus Neocoris: denique à *Joh. Harduino*, in illuſtratione Num. Antiq. Populor. & Urb. qui Neocoros quoque vertit *æditnos*, & *ſacrarum ædium curatores*; at, cæteris diſtinctius, docet hanc nomenclationem tranſiiſſe ad populos urbeſque, qui, intra ſua mœnia, alicui Deo, ſive Auguſto, fanum erexêre; vel pro ſalute principis totius provinciæ communia ſacra ibidem fecêre; vel certamina communia edi curavêre. Cum vero, ſub eodem Principe, non modo ſemel, ſed bis, ter, quaterve, hoſce ludos, hæcce ſacra, & certamina ederent, ΝΕΩΚΟΡΟΙ cognomentum aſſumere eximii honoris loco ducebant.

TABULA TERTIA.

XV.

ALexandri caput, *Nemæi* leonis pelle contectum. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Fulmen *Jovis*; & clava, pharetra atque arcus *Herculis.*

Sunt qui non *Alexandrum* regem, sed *Herculem* heroëm, juvenili & decora facie hic exhiberi existimant; nos tamen, cum fide dignissimo Principe *Constantino Porphyrogeneta*, omnes hosce, & hisce similes nummos *Alexandri*, leonino spolio exornati, gestare vultum tutius credimus.

De Fulmine, telo *Jovis*, supra.

De Clava, ad quintum N. quæ, secundùm *Pausaniam*, in *Corinth* post labores absolutos, actis radicibus, regerminavit, & in oleastrum iterum excrevit. De pharetra quoque ad sextum Num. Verum observandum & hæc *Herculis* arma, inter cætera, *Troiæ* quoque ita fatalia fuisse, ut sine illis inexpugnabilis hæc fuerit. Hinc ipse *Hercules*, summis cruciatibus jam delassatus, hæc *Philoctæti* mittit, apud *Ovidium*, 9 Metam. 232 vers.

> arcum, pharetramque *capacem*
> *Regnaque visuras iterum* Troiana *sagittas*,
> *Ferre jubes* Pæante *satum*.

Et, rebus ad *Troiam*, fatis suis munitam, deficientibus & propemodum desperatis *Philoctæten*, à sagittarum una vul-

vulneratum, & in *Lemno* insula expositum, per *Ulyssem* revocavêre *Graeci*, ut *Herculis* tela *Troiae* excidium festinarent. Consulatur *Ovidius* 13 Metam. 334 & 402 vers. *Sophocles*, in *Philoctet.* &c. Quamobrem & hæ fatales sagittæ, posteriori quoque ævo, summa cum reverentia apud *Thurinos*, in templo *Apollinis*, adservata; teste *Justino*, 20 lib. 1 c.

XVI.

Alexandri caput, leonis pelle vestiti.

ΒΑ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Regis* Alexandri. Clava, pharetra, arcus, & (ni fallat oculorum acies) racemus.

Racemus *Bacchum* notat, quem unà cum *Hercule* coluit, quibusque etiam communia sacra fecit, narrante *Arriano*, 3 lib. & *Curtio* 8 lib. 10 c. Quinimò *Hercules* & *Bacchus* in multis planè conveniunt; uterque enim vicit *Indos*, totumque terrarum orbem suis victoriis peragravit; & *Bacchus*, non secus ac *Hercules*, leonem domuit; & currui adjunxit, narrante *Nonno*, 25 lib. *Dionysiacor.* qui utriusque rerum gestarum comparationem instituit. Ita quoque antiqui *Herculem* non solum, ut bellatorem cum clavâ; sed & quasi bibacem & ebrium cum poculo, fecêre. *Statius*, (videantur 8 gemma apud *Leonard Agostini*, & num. *Crotoniatarum* apud *Goltzium*, *Magn. Graec.* 28 Tab.) 4 Sylv. *Herc. Epitrapez.*

Tenet hæc marcentia fratris,
Pocula; adhuc sævæ meminit manus altera cædis,
Sustinet occultum Nemæo *tegmine saxum.*

C 3 cum



cum quo planè convenit *Martialis*, 9 lib. 44 epigr.

Hic, qui dura sedens porrecto saxa leone
Mitigat exiguo magnus in ære deus,
Quæque tulit, spectat resupino sidero vultu,
Cujus læva calet robore, *dextra mero.*

Nisi & fortasse racemus *Thebarum* sit symbolum, *Bœotiæ* decantatissima urbs, & *Bacchi* atque *Herculis* patria. Unde *Statius*, 10 lib. de *Capaneo* deos provocante:

Nullane pro trepidis, clamabat, numina Thebis
Statis! ubi infandæ segnes telluris alumni
Bacchus & *Alcides?*

XVII.

Alexandri caput, rictu leonis (liceat verbis uti *Statianis*) asperatum.

ΒΑΣΙ. *Regis.* Clava & pharetra *Herculis.*

De clava & pharetra supra plus satis; Notandum tamen clavam, arcum, & leonis pellem omnium primum tribuisse *Herculi Stesichorum Himeræum*, docente *Athenæo*, 12 lib. Verum *Plinius*, 35 lib. 9 c. ipsius tunicati statuæ veteris mentionem facit; exornatæ scilicet habitu *Oetæo*, sive tunicâ illa molesta, venenato cruore *Nessi* imbuta. De quâ *Ovidius* 9 Metam. 166 vers.

Lethiferam conatur scindere vestem,
Qua trahitur, trahit illa cutem, fœdumque relatu,
Aut hæret membris frustra tentata revelli.

Deni-

Denique in hisce omnibus nummis, propter exuvias leoninas, reclinatio illa cervicis (de qua *Plutarch.* in vitâ) non tam exactè conspicitur atque in *Goltzianis* (31 & 34 Tab.) qui *Alexandrum* expansis crinibus & diadematum præferunt. Talem (accedente quoque vultu, in quo non vulgaris animi vigor effulget) pectorosam repandæ cervicis ostentationem indolem protervam, & juveniliter superbientem indicare docet, ex hisce numismatibus, præter *Car. Patinum* (Impp. *Rom.* Num. 10 pag.) *Jac. Sponius* Recherch. Curieus. d'Antiquité, 24 Dissertat. de Nummor. utilitate in Physiognomiâ.

XVIII.

Palladis Victoriæ caput alatum.

B. A. h. e. *Regis* Alexandri: Aquila, alas explicans & fulmini insistens.

Dea *Victoria* pingebatur apud antiquos alata, ob celeritatem bellicorum eventuum, ipsamque belli incertam alam. Hinc *Ovidius*, 8 Metam. 12 vers.

Denique
Inter utrumque volat dubiis Victoria *pennis.*

exornata, inquam, non alis contractis, verum explicatis; eodem teste, Amorum, 3 lib. 2 eleg.

Primo loco fertur sparsis Victoria *pennis.*

& *Prudentio*, 2 lib. contrà *Symmachum*, 28 vers.

Mar-

Marmoreo in templo rutilas Victoria *pennas*
Explicet, & multis surgat formata metallis.

Ea autem *Jovis* capite prognata. *Philo* Jud. lib. de Mund. opificio. Et, cum *Jove*, adversus *Gigantes* cælum invasuros stetit. *Nonnus*, 2 lib. *Dionysiac.* æquè ac *Minerva*, ideo & *Victoria* cognominata; ex fide *Euripidis*, *Nonni*, *Cornuti*, & præsertim *Arnobii* 3 lib. Cujus & statua erat in arce *Atheniensium* alis aureis exornata. Videantur *Aristophontes Pythagorista*, *Eustachius* & *Aristophanes* apud *Joh. Meursium*, Lection. *Atticar.* 1 lib. 20 c. Hinc *Alexander*, insigni victoriâ parta, protinus aras *Minervæ* simul & *Victoriæ* exstruxit. *Curtius*, 4 lib. 13 c. 8 lib. 2 c. & 11 c. Huic porrò similem imaginem profert ex *Hostiliæ* gentis denario *Fulv. Ursinus*, & ex gemma 71, cameo, *Leonard. Agostini.* Quinimò & MINERVAM integram cognomento VICTRICEM in *Caracallæ* N. *Tristanus* (179 pag.) & in *Pescennii* exhibet 100 pag. Numism. suorum *Vaillant*.

Aquila Jovis *altisoni* (vide 3 pag. suprà) est *pennata satelles*; quòd fulmen, si *Plinio* (H. N. 2 lib. 55 c.) fidem tribuamus, in aquilas nullam potestatem habeat. Aliam tamen rationem latere conjicit *Ger. Vossius*, 3 lib. 7 c. de Orig. & Progr. Idololatriæ. Fortè quod *Jovi*, cum adversus Gigantes bellum movens, in *Naxo* sacrificaret, in auspicium victoriæ advolaverit. *Lactantius*, de Fals. Relig. 1 lib. 11 c. Illa verò ex aquilarum genere, quod *Jovis* dicitur, nullâ rapacitate infame, carnes non attingens,

gens, & ex herbis vivens. *Ælianus*. Hiſt. Anim. 9 lib. 10 c.

Eadem quoque, fulmen unguibus retinens triſulcum ſpectatur in nummis *Siculorum*, *Locrenſium*, & *Romanorum*; apud *Parutam*, & *Goltzium*: vel ut *Majeſtatis* & *Imperii* ſymbolum; ex hinc enim in regum ſceptris aquila poſita. *Livius*, 9 lib. & *Plutarchus* in vitâ *Romuli*: vel ut *grandia* ſemper *portendens*; quemadmodum exempla prorſus infinita ex *Plutarcho*, *Juſtino*, *Dione*, *Suetonio*, &c. petita, demonſtrant; & hiſce breviter teſtatur *Sidonius*, 127 verſ.

Multos cinxerunt aquilæ, ſubitumque per orbem
Luſit venturas famulatrix penna coronas.

Avis enim hæc à priſcis plurimum celebrata ob

1. Inſigne robur; *Horatius*, 4 lib. 4. od. Beat. *Ambroſius*, 2 c. lib. de *Salomone*, &c.
2. Volatum ſublimem; *Homerus*, 10 Iliad. *Cicero*, 2 lib. Divinat. *Apuleius*, 1 lib. Floridor. &c.
3. Viſus acumen; *Horatius*, 1 lib. 3 ſat. *Lucan.* 9 *Pharſ. Silius*, 10 B. Pun. & *Claudianus*, præfat. 3 conſ. *Honorii.*
4. Animi magnitudinem, *Ulyſſ. Aldobrandinus*, Ornitholog. 12 lib.

Inſpiciatur *G. Voſſii*, citati libri, 3 lib. 76 c.

XIX.

Monogrammon in clypei *Macedonici*, circulis dimidiatis eleganter exornati, umbilico positum.

βασι. h. e. *Regis*. Galea egregiè cristata.

An nomen *Alexandri* Regis hoc monogrammon comprehendat asserere non ausim; quandoquidem ex sequenti *Antipatri* vel *Antigoni* vocabulum potius quam hujus eruitur: saltem clypeos similes observamus, 23 Tab. in *Macedonum*; 24 Tab. in *Antigonensium*; & 38 Tab. in *Antipatri* regis, apud *Goltzium*.

Galea cristata *Macedoniæ* symbolum est; ut enim per fulmen *Jovis* patris, & per clavam *Herculis* familiæ authoris, ita per cassidem *Minervæ* suæ (de quà suprà ad decimum N.) renovavit memoriam. De hac *Ausonius*, 44 epigr. de *Venere Laconum* armata:

Cui (Palladi) Venus *arridens: quid me* galeata *lacessis?*
Vincere si possum nuda, quid arma gerens?

Notanda quoque hîc galeæ scandens crista: ex more enim veteri milites petasos & galeas elegantiorum avium pennis ornabant; unde *Polybio* πτέρινον φάλον quam *Homerus* ἵππουριν nominat, quod, belli *Troiani* tempore, galeis setas è caudâ equina illigarent; ad terrorem scilicet æquè atque ad ornatum. Illud autem è *Carum* tribus inventis unum; monente *Herodoto*, in *Clio*, apud *G Vossium* 3 lib. 98 c. superius citati libri. Talis cristæ mentionem facit, præter cæteros poëtas, & *Ovidius*, 8 Metam. 29 vers. ubi de *Minoë*, *Cretensi* rege:

Seu-

Seu caput abdiderat criſtata caſſide *pennis,*
In galeâ formoſus erat.

Denique galeas quoque ſpectamus apud allegatum *Goltzium*, 11 Tab. in *Arcadum*; 31 Tab. in *Philippi* regis; 36 Tab. in *Alexandri*, *Caſſandri* F. & Inſul. 19 Tab. in *Parienſium*, &c.

X X.

Fulmen in clypei *Macedonici*, variante circulorum globulorumque ornamento, meditullio.

B. A. *Regis* Alexandri: Galea *Minervæ* criſtata. De fulmine ut patris *Jovis* telo, jam dictum ad ſextum N. & ut potentiæ, bellique celerrimè confecti ſymbolo, ad octavum N. verum ut felici fauſtoque augurio ad quartum triceſimum N. commentario tyronum deſiderio ſatisfaciemus. De galea ad nonum & decimum N.

Hujus denique illuſtria domi foriſque geſta petat lector ex *Arriano*, *Curtio*, *Plutarcho*, *Juſtino*, ut & *Daniele*, nobili *Hebræorum* vate, qui ſacro ſuo penicillo, hunc regem modò, propter vinolentiam, pardi (7 c. 6 verſ.) modò, ob libidinem & iram, volantis hirci (8 c. 5 verſ.) depingit imagine.

XXI. ANTIPATER.

Monogrammon in clypei *Macedonici*, circulis dimidiatis, orbiculis, & fimbriis diſtincti, umbilico expreſſum.

Α. ΒΑΣ. *Antipatri* Regis: Galea similiter cristata.

Hic *Cassandri* è *Thessalonicâ* (*Philippi* filiâ) filius & *Alexandri* frater; qui matrem, pro *Alexandro*, in divisione regni, propensiorem fœdè peremit; at postmodum ad socerum *Lysimachum* fugiens, & regno & vitâ est exutus: narrante *Justino*, 16 lib. 2 cap.

De Galea, *Macedonum* symbolo, modò dictum.

TABULA QUARTA.

XXII. LYSIMACHUS.

LYsimachi, *Thraciæ* regis, galeatum & imberbe caput. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. *Regis* Lysimachi: Leo decurrens, & hostes suos venatores quasi invadens; sub ventre ipsius posito venabuli cuspide.

Lysimachus, *Agathoclis* (qui inter *Alexandri* custodes primarius) erat filius. *Pausanias*, in *Attic*. *Alexandri* porrò commilitonum nobilitate licet minor, virtute tamen bellica multis superior. Post regis interitum, cum inter ejus successores provinciæ dividerentur, gentes ferocissimæ, *Thraces* scilicet & *Pontici* maris accolæ ei, ut omnium fortissimo, assignata sunt. Periit, non instrenue, 74 annos agens, in bello contrà *Seleucum*, 77 quoque annorum validissimum senem. Cætera ejus acta legantur in collectaneis *Lud. Nonnii* ad heroïs hujus nummos *Goltzianos*.

Hic quondam (verbis utamur *Curtii*, 8 lib. 1 c.) *cum venaretur in* Syria, *occiderat eximiæ magnitudinis feram solus*,

lus; sed lævo humero usque ad ossa laceratus ad ultimum periculi pervenerat. En venationis hujusce in Nummo nostro pulcherrimam memoriam! Hinc, per otium, regis *Demetrii* legatis, in cruribus & brachiis, leoninorum unguium cicatrices non sine fastu ostendit, apud *Plutarchum*, in vit. *Demetrii.*

Seneca tamen, de Irâ, 3 lib. 17 c. & de Clementiâ, 1 lib. 25 c. *Justinus*, 15 lib. 3 c. *Plinius*, 8 lib. 16 c. *Valer. Maximus*, 9 lib. 3 c. 1 Ext. imò & *Plutarchus* receptæ opinioni (à *Curtio*, citato cap. explosæ) favent, à *Lysimacho*, *Alexandri* jussu simul incluso, strangulatum leonem; nam sic de hisce breviter *Justinus:*

Lysimachus, Callisthenis *philosophi miseratus, venenum ei in remedia calamitatum dedit. Quod adeo ægrè* Alexander *tulit, ut eum objici ferocissimo leoni juberet. Sed cum ad conspectum ejus* concitatus leo impetum fecisset, *manum amiculo involutam* Lysimachus *in os leonis immersit, arreptaque lingua, feram exanimavit.*

XXIII. PTOLEMAEUS *Philometor.*

Jovis Ammonis caput, cornutum atque diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Regis* Ptolemæi: Aquilæ geminæ fulmini insistentes; posito ad latus cornu copiæ.

De hoc *Jove* admodum apposite *Lucanus*, 9 *Pharsal.* 512.

Stat corniger illic
Juppiter, *ut memorant, sed non aut fulmina vibrans,*
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon.

Nomen habet ab ἄμμος, arena; quod delubrum ejus in *Marmaricâ*, *Lybiæ* parte arenosa, conditum.

Per cornua regiam potentiam denotant *Phœnices*, *Chaldæi*, & *Hebræi*, prout præclaro *Danielis* loco, 7 cap. 24 verſ. apud egregium *Spanhemium*, Diſſert. cit. 368 pag. demonſtratur. Sive & vim *Solis:* quippe etiam *Jupiter* eſt *Sol*, apud *Macrobium*, 1 lib. *Saturnal.* 21 c. Vel ei cornua affinguntur propter arietem, *Libero Patri*, in arenoſis *Marmaricæ* locis, aquæ penuriâ cum exercitu laboranti, fontem demonſtrante. *Servius* ad *Virgil.* 4 *Æn.* *Hyginus*, Aſtronom. poëtices, cap. de Ariete.

Obſervet autem in hiſce amœnitatibus minus verſatus *argenteorum* illorum *ænigmatum* explicatores admodum ſudare in enodando loco *Curtii*, 4 lib. 7 cap. ubi non ut vulgò legunt *umbilico*, ſed *umbriculo maximè ſimilis eſt habitus*; opinanturque *Jovem Ammonem* maximâ ex parte umbri ſeu umbriculi villoſi formam habuiſſe; illudque barbatum & cornutum, in numismatibus, regis alicujus *Cyrenaïci*, non autem *Lybici Jovis*, eſſe caput. Videantur *Dauſquejus* ad *Silii*, B. *Punic.* 3 lib. 10 verſ. & *Tomaſinus* ad *Cecropii* votum 44 pag. *Iſaac. Voßius*, Obſervat. ad *Melam*, 1 lib. 8 c. apud *Anton. Borremanſium*, præfat. Dialog. de poëtis & prophetis, ut & *Anton.* van *Dale*, de Oracul. 1 Diſſert. 287 pag.

Diadema ex ingenio cælatorum, ad ſua tempora reſpicientium, *Jovi* tributum; cum ſit apud antiquiores *Græcos* ignotum geſtamen, nec, niſi poſt plures ætates, a *Macedonibus* ex Oriente deductum. Conſulatur *Iuſtinus*,

12

12 lib. 3 c. & *Curtius*, 6 lib. 6 c. Hinc diadema, quod *Diodoro Persicum*, *Herodiano Macedonicum*, *Lucano* (5 lib. 60 verf.) *Pellæum* dicitur, hoc modo:

> *Cingere* Pellæo *pressos diademate crines*
> *Permissum.*

Verum de regio hoc capitis ornamento plurima, ut solet, eruditissimè *Ez. Spanhemius*, de uſ. & præſtant. Num. 5. Differt. 457 pag.

Cujus autem *Ptolemæi*, inter tot ejuſdem nominis reges, ſolo titulo diſtinctos, hic noſter ſit nummus, ignorare cogimur. At quidni *Ptolemæo Philometori Epiphanis* filio, *Ægyptiorum* regi quinto tribuimus, quem duo geſtaſſe diademata, *Asiæ* nempe & *Ægypti*, notat *Iosephus*, Antiq. *Judaic.* 13 lib. 8 c. Utique opinioni favere videntur geminæ illæ aquilæ, conjunctæ potentiæ egregium ſymbolum.

Saltem in plerisque *Ptolemæorum* numiſmatibus una tantum conſpicitur aquila; eſtque vel illa, quæ *Ptolemæum* (*Lagi Arsinoës*que filium) in æneo clypeo expoſitum (expanſis alis ardorem Solis imbreſque avertendo, volucres abigendo, coturnicibusque laceratis pro lacte ſanguinem illi inſtillando) conſervavit. *Suidas* in voc. Λαγ@. Vel eſt *Nilus* fluvius, ab irruptione vehementi aquilæ nomen accipiens; quem intra ſuas ripas coërcens *Hercules* fabulæ aquilæ *Prometheum* vexantis, & ab eo ſagittis confixæ, jucundam dedit occaſionem. *Suidas*, loc. cit. *Hesychius*, *Izac Tzetzes*, apud *G. Vossium*, de Idololatr. 1 lib. 27 c.

Cor-

Cornu copiæ denique appositum felicitatem & omnium rerum abundantiam, sub *Ptolemæorum* placido regimine, significat.

XXIV. SELEUCUS *Nicator.*

Palladis Alcidæ galeatum caput.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Regis* Seleuci: Apollo stans, denudatus, sagittam dextrâ retinens, & arcui lævâ innitens.

Passim successores *Alexandri* regis hujusce symbolis utuntur in suis numismatibus; scilicet ut & sic tanti imperatoris jucundissimam renovent memoriam; & in minimis quoque fervidè imitentur. Namque ideò dubio procul *Palladis* caput huic (sicut eam à quatuor elephantis magnificè tractam alio, apud *Ioh. Foy-Vaillant*) numismati impressit *Seleucus*, filius *Antiochi* (belli ducis sub *Philippo*) *Alexandri* generosissimus commilito.

Hic P*erdicca*, *Antipatro*, *Cratero*, *Eumene*, *Cassandro*, filiisque ejus, *Antigono*, filioque *Demetrio* P*oliorcete*, & *Lysimacho* extinctis, *Babyloniæ*, S*yriæ* & *Asiæ* rex, à viginti & quatuor victoriarum numero dictus est *Nicator.* A*ppianus*, S*yriacar.* 124 cap. Cui mortuo (à P*tolemæo Ceranno*, *Ægyptiorum* rege, per insidias circumvento & occiso; *Iustinus*, 17 lib 2 c.) tanquam Heroï ab A*ntiochiensibus* templum *Nicatorium* est exstructum & consecratum. A*rrianus*, 7 lib. Verum ipsius domi forisque acta ex A*ppiano*, *Iustino*, *Diodoro*, P*lutarcho*, aliisque optimè congessit modò nominatus *Vaillant*, in suo S*eleucidar.* Imperio: quo lectorem libenter allegamus.

Porrò

Porrò mirum quam diverſimodè *Apollo*, ratione attributorum, in nummis exhibeatur; nam, ex gr.

1. Ut auriga, ſcuticam dextrâ retinens; quinimò ſæpè quadrigam gubernans; in *Caracallæ*. Triſtan. 172 pag.

2. Ut citharœdus, palla indutus, citharam geſtans; in *Auguſti*. Triſtan. 77 pag.

3 Ut medicinæ Salutaris inventor, collectas herbas dextrâ tenens; in *Trebon. Galli*. Oudan. 40 Tab. 9 N.

4. Ut Vates, innitens tripodi, & laurum dextrâ ferens; in *Maximi*. Triſtan. 454 pag.

5. Ut armentorum paſtor, pedo innitens; infrà in noſtro *Theſſalonicenſi*, 72 N.

6. Denique, ut jaculator, arcu & ſagitta ſeſe armans; in regis *Antiochi* quarti. *Vaillant*, 195 pag.

Hîc tamen præſertim conſpiciendus occurrit ut *Seleuci Nicatoris* pater; ſaltem ex fide matris *Laodices*: quæ quoque à Deo concubitus munus acceperat, annulum ferreum, in cujus gemmâ ſculpta fuit anchora. *Juſtinus*, 15 lib. 4 c. Cujus etiam figura apparuit in femore *Seleuci* parvuli; teſtibus *Appiano* 123 cap. & *Auſonio*, de Urbib. 3 cap. 10 verſ.

Illa Seleucum
Nuncupat: ingenuum cujus fuit anchora ſignum,
(Qualis inuſta ſolet) generis nota certa; per omnem
Nam ſobolis ſeriem nativa cucurrit imago.

XXV.

Seleuci Nicatoris galeâ munitum caput.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Regis* Seleuci: *Apollo*, facie muliebri, nudus, palliolo tantum dextrum tegens humerum, cortinæ seu tripodi innitens.

Cum de *Seleuco*, & *Apolline*, ipsius supposito parente, modò sit dictum, ad *Antiochum Venatorem* esset transeundum, nisi de numinis hujus capillis, virginali studio in nodum collectis, pauca restarent dicenda.

Scimus è *Petronio*, *Apuleio*, *Euagrio*, *Jul Firmico*, aliisque apud *Vossium*, *Meursium* & *Seldenum*, Veteres credidisse deos utriusque sexus participes. Ita enim & in *Caracallæ* Num. apud *Vaillant*, de Colon. 36 pag. *Luna*, seu potius *Lunus* deus, occurrit habitu virili; qualem quoque *Fortunæ Masculæ* tribuunt antiquiores *Romani*. *Dionysius Halycarn.* 4 lib. *Lactantius*, Institut. 3 lib. 29 c. & 4 lib. 1 c. planè ut exquisitissimæ pulchritudinis deæ *Veneri* rudem barbam affingunt *Lacedæmonii*. *Servius* ad *Virg. Æneid.* *Macrobius*, &c.

Ita & ipse, de quo loquimur, *Apollo*, stolatus, habitu muliebri conspicitur in *Commodi*, Patrensi N. apud *Vaillant*, lib. mox citat. 311 pag. & in regis *Demetrii Soteris*, apud eundem, in Imp. *Seleucidarum*, 241 pag.

Tripus ille est, quem (in templo *Apollinis Delphici*, ad *Parnassum* montem) specui profundæ impositum, carmina (*Græcè*, nunquam *Latinè*) pronuntiatura conscen-

debat

debat *Pythia.* *Strabo*, 9 lib. *Diodorus*, 16 lib. & diſtinctè *Lucanus* 5 *Pharſal.* ab 120 uſque ad 223 verſ.

Sic *Apollini* vati plerumque apponitur tripus, ex gr. in *Antonini Pii Cæſaraenſi* N. *Vaillant*, de Colon 242 pag. & in *Maximi* N. citato: quinimò & ſolum ejus tripodem obſervamus infrà, in *Crotonienſium*, 54 N. unde & corvus (*Æliano* divinatione præditus, & hinc *Apollini* ſacer ales) non tantum nominatur à *Statio*, 3 *Thebaid.* 506 verſ.

Comes obſcurus tripodum:

Verum & ei adſtans conſpicitur apud *Gorlæum*, prim. partis 10, & ſec. 111 gemmâ.

Eam, corio *Pythonis* ſerpentis, ab hoc numine ſagittis confoſſi, obductam exhibent *Seleucidarum* nummi apud *Vaillant*, 149 pag. & *Antioch. Magni* N. apud *Begerum*, 133 pag.

XXVI. ANTIOCHUS *Sidetes.*

Leonis *Nemæi*, caput ringens.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Regis* Antiochi Euergetis: *Herculis* nodoſa clava.

De leone quædam diximus ad quintum N. Erat ille è *Lunæ* ſpuma natus, & ab Iride in montem *Opheltam* deportatus; quem primò multis ſagittis aggreſſus eſt *Hercules*, incaſſum: corium enim ejus nulli penetrabile ferro: mox autem clavâ, quâ crebris ictibus comminuta, tandem brachiorum nexu illlum ſtrangulavit.

Hyginus, *Fulgentius*, &c. *Statii* vero locis suprà citatis, etiam *Silii*, 3 *Punicor.* 33 & 34 vers. addantur:

Nexuque elisa leonis
Ora Cleonæi patulo *celantur hiatu.*

Eum tamen inter sidera collocavit laboribus *Alcidæ* semper adversans *Juno*: *Germanico*, *Avieno*, & *Manilio*, in Astronom. testibus; at validissimam feræ pellem, thoracis instar, *Hercules* perpetuò gestavit.

Antiochus porrò, de quo nummus loquitur, *Antiochorum* septimus est, *Euergetes*, h. e. Benefactor, *Syriæ* rex, *Demetrii Nicatoris* frater, vocabulo *Sidetis*, i. e. Venatoris (*Sid* enim apud *Phœnices* venationem sonat) etiam vulgo notus. Qui à suis desertus occubuit in *Syria* contra *Parthum* dimicans. *Josephus*, Ant. *Jud.* 13 lib. 16. *Justinus*, 38 lib. 10 c. apud *Vaillant*, in Imp. *Seleucidarum.*

De clava nihil addimus iis quæ jam notata, ad quintum & quintum decimum N.

TABULA QUINTA.

XXVII. ANTIOCHUS *Cyzicenus.*

ANtiochi *Cyziceni* diadematum caput.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Regis* Antiochi: Fulmen.

Antiochorum hic nonus, *Syriæ* rex, *Antiochi Euergetis* è *Cleopatrâ* filius, *Antiochi Grypi*, sive *Philometoris*, uterinus frater: *Philopator* in Nummis, at *Cyzicenus* (erat enim

Cy-

Cyzici in *Propontide* enutritus) à scriptoribus appellatus: in quo (à *Seleuco* sexto, *Grypi* filio, circa *Antiochiam* devicto, capto, ac neci tradito. *Iosephus*, Ant. *Iudaic*. 13 lib. 21 c. *Trogi* prolog. 40 lib.) velut defatigati res *Syro-Macedonicas* abrumpit Chronologorum vulgus; notante *Ruperto*, Hist. niversf. 10 cap.

Fulmen *Seleuciæ*, *Syriæ* urbis amplissimæ & nobilissimæ, symbolum est: ubi fulmen consecratum & pro Jove ipso habitum narrat in *Syriacis*, 125 cap. *Appianus*. Nempe postquam *Seleucus Nicator*, in *Casio* monte sacrificans, & de loco condendæ urbis consulens, augurium fulminis in regione *Pieriâ*, ad mare sequutus esset.

Sed de hoc fulmine convenientius ad nostrum *Seleucensium*, 34 Nummum.

XXVIII. DEMETRIUS *Soter*.

Demetrii Soteris laureatum caput.

ΤΥΡ . . . . . . ΑΣΥΛΟΥ. ΡΟΑ. ΚΡ. Α. Tyri, *sacræ & inviolabilis:* Aquila gradiens, appositis *Phœnicia* palma, & *Herculis Tyrii* clavâ.

Syriæ regem refert insignis iste Nummus, sed quem? *Demetriumne Soterem? Seleuci Philopatoris*, i. e. quarti, filium? ab *Alexandro Bala* prælio victum & necatum? certè conjecturam laureæ gestamen, insolitum licet & minus frequens, debilitare nequit; cum quoque eundem laureatum è nummo ad Supplem. *Æneæ* Tactic. exhibeat in Antiquitatis agone laurea dudum decoratus, JAC. GRONOVIUS. Saltem peculiari alicui *Phœnicum* re-

gi *Demetrio* pessimè tribueretur; ut optime ad *Demetrii* hujus, etiam lauro redimitum, caput, edocet, lib. sæpissimè cit. nobilissimus *Spanhemius*. 379 pag. Sed de hoc, ut & de plurimis hisce nummis unicuique judicium sit liberum.

Aquila *Ægyptiorum* regum perpetuum est symbolum; de quo ad vicesimum tertium N. Eo autem varii reges *Syriæ*, in conjugum suarum (videatur *Vaillant*) è *Ptolemæis* genitarum honorem utuntur.

Palma notat palmetis abundantem *Syriam*, *Phœniciam* (quæ ab eâ nomen habet) et *Judæam*. *Callisthenes* apud *Aristotelem*, lib. de Mirabil. Sic palmetorum *Idumeæ* (quæ *Silio* palmifera, & *Lucano* 3 lib. 216 vers. arbusto palmarum dives) meminit *Statius*, 5 Sylv. proptrept. *Crispini*. 138 vers.

> *An* Solymum *cinerem, palmetaque capta subibis,*
> *Non sibi felices sylvas ponentis* Idumes?

Clava *Herculi* debetur, non *Thebano* sed *Phœnicio*, (hîc enim eum *Astrochiten*, h. e. astrorum ducem, & *Desanaum*, i. e. tyrannos prementem & calcantem, nominant. *Nonnus*, 40 lib. *Dionys.*) qui, triremium repertor, *Tyrios* navigare docuit, & longè latèque, imò & ad *Gades* usque, colonias propagandi ansam præbuit. *Nonnus*, lib. cit. *Curtius*, 4 lib. 4 cap. *Diodorus*, 5 lib. Unde rectè *Tibullus*, 1 lib. 8 eleg.

> *Utque maris vastum prospectet turribus æquor,*
> *Prima ratem ventis credere docta* Tyros.

De-

Denique etiam purpuræ tincturam, canis sui maxillas sanie muricis infectas observans, primus invenit, iisque concessit. *Suidas. Isacius Lycophr.* interpræs. *Vitruvius.* Hinc de ipsius, ut & vicinæ Sidonis, purpura *Statius*, 3 Sylv. Propempt. *Met. Celeris :* 139 vers.

> *Quà preciosa* Tyros *rubeat, quà purpura fuco*
> Sidoniis *iterata cadis.*

Quare murex *Tyri* perpetuum est symbolum; nempe apud *Vaillant*, de Colon. in *Elagabali*, 135 pag. &c. & in *Gallieni* N. 350 pag. in quo prætereà *Hercules* juvenis triremi insistit.

Tyrus autem ipsa *Phœniciæ* maritimæ nobilissimum est oppidum, super Ambrosias petras, sive instabiles illas rupes, monitu *Herculis*, exstructum: hæ enim factæ stabiles, postquam aquila, supra oleam ibidem inventa, *Jovi* & *Neptuno* esset immolata. *Nonnus* lib. cit. & *Gallieni* N. apud *Vaillant*, 351 pag Et hæc illustrant *Lucani* 3 Pharsal. 217 vers.

> *Et* Tyros *instabilis, pretiosaque murice* Sidon.

Ubi vulgò annotant *Tyrum* instabilem nuncupari, quod, propter ædium altitudinem, terræ motibus sæpe numero sit concussa. *Strabo*, 16 lib. 520 et 521 pag. *Syria* enim tota, ut maritima & littorea, atque ita cavernosa & spongiosa, terræ motibus valdè obnoxia. *Aristoteles*, Meteor. 2 lib. *Justinus*, 40 lib. 2 cap.

Her-

Hercules verò (qui, in oppugnatione *Tyri*, per somnium visus est *Alexandro* dextram porrigere, atque in urbem introducere. *Plutarch.* in vita) præsertim apud hosce *Tyrios* opulentissimum habuit templum. *Herodotus*, in *Euterp.* *Josephus*, contra *Appion.* 1 lib. *Strabo*, 16 lib. 521 pag. *Curtius*, 4 lib. 2 c. *Lucianus*, de *Syr.* dea. Quod spectatur in *Macrini*, N. apud *Vaillant* de Colon. 98 pag. Hoc autem donariis spoliavit *Cæsar*, quod *Corneliam, Pompeii* uxorem, *Tyrii* recepissent. *Dio*, 9 lib. 60 c.

Titulus denique ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ licentiam & impunitatem significat; quod beneficium (videatur *Nepos, Agesil.* 4 cap.) plerisque fanis est concessum; ut ex gr. *Dianæ Hiero-cæsariensium.* *Tacitus*, 3 Annal. 62 cap. Sed & (quemadmodum apud *Judæos*) integræ civitates erant, & loca perfugii, ex quibus, hoc modo sacris, nemo, qui vicinis damnum injuriamve intulisset, repeti in deditionem poterat. Ita quoque *Samothracum* insula inviolati soli. *Livius*, 45 lib. 5 c. Et, in nummis (apud *Tristanum*, *Patinumque*, & alios) urbes *Nicomedia*, *Seleucia*, *Laodicea*, *Damascus*, *Dora*, *Gabala*, *Samosata*, *Apamea*, *Heraclea*, &c. Verum de *Græcorum* licentia & impunitate in asylis statuendis consulatur insignis *Taciti* locus, lib. cit. 63 cap prætereaque de asylis hisce *Spanhemius*, lib. sæpius citat. 778 pag

Litterarum P O. A. K P A. ænigmatis explicatio, nobis obscurissima, *Oedipum*, postulat.

XXIX.

XXIX. ANTIOCHUS *Nicephorus.*

Jovis oleâ redimitum caput.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥ. *Regis* Antiochi, *Dei præsentis et visibilis:* Aquila insistens fulmini.

De oleâ, *Jovis* caput ambiente, ad nonum N. sicut & de aquila ad decimum & octavum N. dictum; nec occurrit quod adderemus.

Syriæ ille rex *Antiochorum* est sextus, *Alexandri Balæ*, è *Cleopatrâ Ægyptia*, filius; ΝΙΚΗΦΟΡΟΣ, h. e. *Victoriosus*, quoque in aliis nummis cognominatus; à nonnullis in regum serie omissus, quod (vivente illo) *Demetrius Nicator Syriæ* majorem partem conservaverit. Interemptus est à *Tryphone Diodoto*, *Apameno*, ejus tutore, in *Seleucidarum* seriem & regnum vi & fraude sese intrudente; ut notum è *Macchabæorum* libris, *Josepho*, *Justino*, & *Appiano*, apud *Vaillant.*

XXX. JOTAPA, & ANTIOCHUS *Comagenus.*

ΙΟΤΑΠΗ. *Iotapa*: Muliebre caput, humeris amiculo velatis.

Virile caput: Inscriptio prorsus deleta.

Jotapa hæc *Antiochi*, *Comagenorum* tertii, reguli est filia, *Alexandro*, *Sebastenorum* regulo, *Herodis Ascalonitæ* sive Magni pronepoti nupta. Quo marito tandem defuncto in regni societatem adscivit fratrem, patre mortuo jam

Comagenorum regulum; *Antiochum* ſcilicet, ejus nominis quartum. Ob communicatum cum fratre imperium *Jotapa Philadelphos* eſt vocata. *Ciliciæ* urbi hæc nomen dedit, quæ prius *Sebaſte* dicta. *Ptolemæus*, 5 lib. 8 cap. *Plinius*, 5 lib. 27 cap. apud quem *Iotape*, & non *Tabæ* legit *Harduinus*, in Addend. ad Num. Urb. & Pop. 587 pag.

XXXI. HERODES AGRIPPA, *Junior.*

ΑΓΡΙΠΑ. *Agrippa:* Tabernaculum, ſive tentorium. Ariſtæ tres colligatæ.

Per hæc adverſæ & averſæ partis ſymbola *Judæorum* celeberrima deſignantur feſta; Scenopœgiæ nempe & Pentecoſtes; de quibus *Joſephi*, Ant. 3 lib. 10 cap. illuſtrans eruditiſſimè *Spanhemius*, lib. cit. 444 pag.

Herodes autem *Agrippa*, *Agrippæ Philoclaudii* (cujus effigiem è Nummis dant *Spanhemius* et *Begerus*) eſt filius: in quo *Idumæorum* Regum ſuperbificum nomen deſiit, *Berenices* (quæ cum *Tito Veſpaſiani* Imp. filio coïvit) & *Druſillæ* (*Felici* nuptæ) frater impurus. *Joſephus*, Antiq. *Jud.* 20 lib. 5 cap. Anno imperatoris *Traiani* tertio defunctus. *Juſt. Tiberienſis*, apud *Photium*, 33 cod.

Nummus denique, ut *Spanhemio* videtur, à *Judæis Helleniſtis* eſt percuſſus, qui (cum per leges patrias nec regis *Agrippæ*, nec imperantis tum *Cæſaris*, effigiem nummis imprimere permitteretur) hiſce imaginibus (licuit enim, ſecundum *Maimonem Hebræum*, de Idol. 3 cap. 4 art. arbores, herbaſque & ſimilia formare) ipſorum ſolemnium memoriam expreſſerunt.

TA-

TABULA SEXTA.

R E G N A.

XXXII. ANTIOCHIA, *Syriæ.*

ANTIOXE. ET. HP. *Antiochiensium* ; concessæ Autonomiæ *anno* 108: Lyra.

Apollinis caput diadematum.

Antiochia sedecim *Antiochiarum* est clarissima & maxima. *Iosephus*, Bell. *Iud.* 3 lib. 3 cap. *Strabo*, 16 lib. cui *Epidaphne*, et urbium *Seleuciæ*, *Apameæ*, & *Laodiceæ* magna soror dicitur. A *Seleuco Nicatore*, in *Syria* ad *Orontem* flumen, in *Sylpii* montis clivo condita, & ab ejus patris nomine denominata. *Eustachius*, comment. ad *Dionysium*.

Orientis pulcher apex *Ammiano*, 22 lib. 10 cap. qui (præter *Iustinianum* Imp. 11 lib. 77 tit. Codicis) de *Daphne*, ejus amœno & ambitioso suburbio, lauro cupressoque perpetuo virente, fontanisque aquis irriguo, 19 lib. 12 cap. In cujus umbilico *Apollinis* (ut & *Dianæ*) amplissimum templum ab *Antiocho* quarto, h. e. *Epiphane*, positum. *Strabo* loco cit. Anno *Christi* 366, quum *Iulianus* Imp. esset *Antiochiæ*, subita vi flammarum (*Ammiano* 22 lib. 12 cap. tradente) exustum. Hujus suburbii sic meminit *Claudianus*, 3 Rapt. *Proserp.* 772 vers.

Quales non divite ripa
Lambit Apollinei *nemoris nutritor* Orontes.

Eam verò tanto odio prosequebatur *Hadrianus*, ut *Syriam* à *Phœnicia* voluerit separare, ne tot civitatum diceretur metropolis. *Spartianus*, 14 cap. Contrà coloniam fecit *Antoninus Pius*. *Spanhemius*, adversus *Scaligerum*, lib. cit. 755 pag. Terræmotibus, imperatore *Trajano* ibidem hyemante, pœnè tota eversa, anno *Christi* 116. *Dio*, 58 lib. *Eusebius*, in *Chron*. Postmodum, nomine à *Justiniano* Imperatore concepto, *Theupolis* fuit dicta.

Hanc in nummis passim vel capite tenus, & velàtam conspicimus; prorsus ut *Edessam*, *Berytum*, aliasque *Syriæ* urbes: nempe apud *Vaillaut*, Mun. & Colon. in *Vespasiani*, 190 pag. vel integram, rupibus insidentem, & emersum fluvium pede deprimentem; apud eundem, in *Alexandri*, 161 pag. *Volusiani*que, 317 pag.

Lyra, æquè ac Tripus, in nummis, *Apollinis* est symbolum; quam *Mercurium* construxisse, & *Apollini* donasse perhibet *Hyginus*, Astron. poët. 7 cap. Meminit hujus *Tibullus*, 3 lib. 4 eleg. agens de numinis hujus ornatu:

Artis opus raræ, fulgens testudine & auro
Pendebat levà garrula parte lyra.

Ea calamo sive plectro percutiebatur, ne scilicet assiduo pulsu digiti lædantur. Hinc *Statius* ait, 1 *Achilleid*.

Qualis Lyciâ *venator* Apollo
Cum redit, & sævis permutat plectra *pharetris*.

Sed de lyra, & inter hanc citharamque discrimine fusè *Oth. Sperlingius*, lib. cit. 70 pag. & *Isa. Vossius*, de poëmat. cantu, & virib. rythmi, 97 pag. Per-

Percussus autem hic nummus à *Syriæ* quodam præside, anno *Neronis* sexto, & centesimo atque octavo concessæ Autonomiæ; quæ initium habuit anno quadragesimo septimo vel octavo ante natum *Christum*; nempe *Pompejo*, accepta ab *Antiochiensibus* pecuniâ, urbem eorum suis legibus relinquente. *Porphyrius*, in Excerp. apud *Scaligerum*, 62 pag. De hac Autonomia, è *Ciceronis*, 1 lib. ad *Atticum*, 6 Epist. *Livii*, 33 & 38 lib. &c. optimè, lib. cit. 789 pag. *Spanhemius*.

Caput diademate (de quo ad vicesimum tertium N.) si non *Apollinis*, saltem *Dianæ*, ejus sororis est; non etenim solummodo horum è *Jove* & *Latona* gemellorum cultus plerumque est conjunctus; verum & eos formâ mirè similes fuisse docet *Claudianus*, 2 lib. de raptu *Proserp.* 27 vers.

At Triviæ *lenis species, & multus in ore*
Frater erat, Phæbi*que genas, & lumina* Phæbi
Esse putes, solusque dabat discrimina sexus.

Quid quod *Apollinem*, virginali facie & ornatu, in vicesimo quinto N. superius exhibuimus.

Saltem ambo egregia delubra in *Antiochiæ* suburbio habuisse modò diximus.

XXXIII. BYSANTIUM, *Thraciæ*:

Dianæ lampadiferæ velatum caput.

ΒΥΖΑΝ. ΚΑΛΧΑ. *Byzantium*, *Chalcedon*: *Neptunus*,

Byzantium reſpiciens, infernè amiculo tectus, ſaxo inſidens, & dextra apluſtre, lævaque tridentem geſtans.

Dianæ lampadiferæ ſimulacrum ſtatuêre *Byzantii*, obſidione moleſtiſſima relevati. *Philippo* enim *Macedone*, urbem obſidente, ac meatum occultum fodiente, foſſoribuſque clam è foſſa erumpentibus, *Hecate*, h. e. *Lucina*, ſive *Lucifera*, civibus lampades obtulit, & hoc pacto ab obſidione liberavit. Unde & locus, circà portum à facibus appellatus eſt Φωσφόριον, *Boſporium*. *Stephanus*, de *Byzant*. *Conſtant*. *Porphyrogeneta*, 2 lib. 12 c. Them. *Euſtachius*, ad *Dionyſ*. *Heſychius*, lib. de origine C. P.

Hinc & ſubinde *Byzantii* ſervatricem in nummis *Lunam*, creſcentem, ſtellamque φώσφορον, vel & duas lampades exhibent; obſervante *Harduino*, lib. cit. 597 pag.

De *Diana* lucifera, ſive *Luna* (noctu vias monſtrante, & ideò *Enodia Callimacho* dicta) ſic (præter *Pauſaniam*, in *Arcad.*) *Silius*, 12 lib. B. *Pun.* 521 pag.

> . . . . . *Viden ut* Latonia *virgo*
> *Accenſas quatiat* Phlegetontis *gurgite tædas.*

Capitis poſterior pars velo tecta in Diis divinitatis, & in hominibus conſecrationis eſt nota. Ita, ex gr. velati

1. Dii, *Proſerpina*, in *Sardianorum* N. apud *Seguinum*. *Ceres*, in *Panormitanorum* N. apud *Parutam*.
2. Urbium *Syriacarum* genii; puta *Antiochiæ*, *Edeſſæ*, &c. apud *Begerum* & *Vaillant*.

3. Ho-

3. Homines; *Julius Cæsar*, *Constantius Chlorus*, *Constantinus Magnus*, *&c.* apud eosdem & *Angelonum*, *Arschotanum*, *Patinum*, *&c Cleopatra Antiochi Grypi* mater, *Philistis*, *Antonia*, *Marciana*, *Faustina*, *Paulina*, *&c.*

Sed de *Iovis* & *Iunonis* capitibus, velamine rutilante tectis, *Capella*, de Nupt. Philolog 1 lib.

Byzantium (quam describit *Dio* in *Sever.*) *Megarensium*, *Lacedæmoniorum*, & *Bæotorum*, *Græcorum* antiquissimorum est colonia, *Thraciæ* regia, olim *Lygos* dicta. *Plinius* 4 lib. 11 c. & *Ausonius*, 1 epigr. de *Constantinopoli* et *Carthagine*:

Ite pares, tandem memores, quod numine divûm
Angustas mutastis opes & nomina: tu quum
Byzantina Lygos, *tu* Punica Byrsa *fuisti.*

Nomen à *Byzante* (quam in nummo exhibet *Baudelot*, lib de Utilit. Peregrin. 100 pag.) accepit, qui filius *Neptuni* et *Croëssæ*, *Ius* filiæ, *Megarensium* dux, oraculo monitus eam condidit.

Illa postmodum *Constantinopolis* dicta, *Constantino*, relicta *Roma*, eam, ab imp. *Severo* dirutam, reparante, illucque sedem imperii transferente propter incursiones barbarorum; nempe ut hinc eis citius obviam ire posset. Videatur, præter citatum *Const. Porphyrogenetam*, 2 lib. Them. 1 c. *Eusebium*, Chronic. *Stephanum*, in *Byzant.* et *Lud. Nonnium*, ad. *Goltz. Græciam*, Topographia *Petr Gyllii*

Chalcedon verò *Bithyniæ* est urbs, ad ostium *Ponti Euxini*

è

è regione *Byzantii*. Unde *Claudianus*, breviter & verè, *Honorii* quart. conf. 176 verf.

Caligine liber

Bosporum *adversam patitur* Chalcedona *cerni.*

Megarensium quoque, *Archia* duce, colonia. *Thucydides*, 4 lib. *Strabo*, 7 lib. *Mela*, 1 lib. 19 cap. Anteà *Procerastis*, *Colpoëssa*, et *Cæcorum* oppidum, sed hodiè *Scutari* dicta. *Cæcorum* autem nomen habent incolæ, quod cum pulchrior ad urbem condendam locus adesset, pessimam partem elegissent; atque ita commoditate et opulentia illa piscaturæ carerent, qua gaudet ora *Byzantii*. *Herodotus*, 4 lib. 144 pag *Tacitus*, 12 Ann 63 cap. *Plinius*, 9 lib. 15 cap.

Neptunus respicit heroëm *Byzam*, filium; vel ipsum fretum *Thracium*; illo forte saxo insidens, de quo loc. proximè cit. *Plinius*: *Est*, inquit, *in* Euripo Thracii Bospori, *in ipsis* Europam Asiam*que separantis freti angustiis*, saxum *miri candoris*, *à vado ad summa pellucens*, juxta Chalcedonem, *in latere* Asiæ. *Hujus aspectu territi thynni semper adversum* Byzantii *promontorium* (*ex eâ causa appellatum* Chrysoceras) *præcipiti petunt agmine*. *Itaque omnis captura* Byzantii *est*, *magna* Chalcedonis *penuria*. Eadem *Strabo* 7 lib.

Aplustre maritimæ, in nummis, potentiæ est symbolum; licet subinde trajectum maris significet; ex. gr. in *Vespasiani* apud *Tristanum*, 287 pag. Male tamen ab aliis appellatur acroterion; cum hoc proræ, et illud puppis sit ornamentum. Meminit *Rutilius*, in Itinerario:

Inconcussa vehit tranquillus aplustria flatus.

De tridente sermo erit ad sexagesimum octavum N.

XXXIV.

XXXIV. SELEUCIA, *Syriæ.*

Jovis laureatum caput.

ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΠΙΕΡΙΑΣ. *Seleucensium* qui in *Pieriâ*: Fulmen alatum, appositis *Dioscurorum* pileis.

Jovem, sub nomine *Ceraunii*, coluêre *Seleucienses*, *Hesychio* docente; non secus ac *Jovem Fulminantem*, *Fulgeratorem*, ac *Tonantem Romani* venerantur; quinimò apud illos ipsum Fulmen, numinis instar, consecratum; quod, in hac urbe condenda, *Seleucus* augurium fulminis sit sequutus. *Appianus*, *Syriac.* 125 cap.

Est autem *Seleucia*, (describit *Polybius*, 5 lib. 59 cap.) regionis *Seleucidis* in *Syria* caput; in confinio *Ciliciæ* & *Phœniciæ* ad mare sita; montibus *Coryphæo* & *Casio*, nec non fluminis *Orontis* ostio proxima; a *Pompejo* Magno, ejecto è *Syria Tigrane*, libertate donata. *Strabo*, 16 lib. Colens etiam, præter *Ceraunium*, *Jovem Casium*, lapidis sive petræ facie. *Erasmus*, in Adag. Hujus etenim mater *Rhea* quoque petrosa & montosa, *Theodoreto*.

Fulmen (de quo *Plinius*, 2 lib. 51 cap.) licet *Æsculapio*, *Phaëtonti* & *Aiaci Oileo* fuerit infaustum & lethiferum. *Virgilius*, 7 *Æneid.* 773 vers. *Ovid.* 2 Metam. 311 vers. iterumque *Virgilius*, 1 *Æn.* 48 vers. prosperum tamen & grandia portendens erat auspicium inter fulmina nato *Baccho* (qui ignigena *Ovidio*, 4 Metam. 12 vers. *Strabo*, 13 lib.) *Mithridati Pontico*; bis fulminibus tacto, & idcirco *Dionysi* sive *Liberi* cognomentum in perpetuum usur-

panti. *Cicero*, orat. pro *Flacco*. *Plutarchus* 1 lib. Convival. quæst. 6. *Dio Prusæus*, 37 orat. *Seleuco* denique heroï, *Seleuciæ* urbis feliciſſimo conditori. *Appianus*, loc.cit.

Dioſcurorum pileoli in nummis maritimarum urbium conſueta ſunt ſymbola. Cernimus enim illa in *Aſcalonitarum*, *Tripolitanorum*, *Abydenorum*, *Phocæenſium*, &c. apud *Triſtanum* & *Patinum*. *Caſtor* enim & *Pollux*, *Jovis* ex *Ledà* filii, & *Helenæ* fratres, immortalitatem conſequuti, præſertim à navigantibus implorabantur, quaſi ventos & æquora placare valerent. Unde *Silius*, 15 lib. B. *Punic*. 643 pag.

Quid ſuſpiratos magno in diſcrimine nautis
Ledæos *referam fratres?*

Revera ignes ſunt ſtellarum inſtar; quod meteori genus navigantibus proſperum, ſi geminum in antennis appareat; ſi verò ſolitarium (quod *Helenæ* tribuunt) incidat, triſte & periculoſum. *Plinius*, 2 lib. 37 cap. *Seneca* Natur. quæſt. 1 lib. 1 cap. Hinc *Statius*, 3 Sylv. Propemp. *Met. Celeris*:

Proferte benigna
Sidera & antennæ gemino ſubſidite cornu,
Oebalii *fratres*; *vobis pontuſque poluſque*
Luceat; Iliacæ *longe nimboſa ſororis*
Aſtra fugate, precor, totoque excludite cælo.

At de *Dioſcuris* plura ad trigeſimum & nonum N.

XXXV.

XXXV. EPHESUS, *Joniæ.*

Ε Φ. *Ephesiorum*: Apis.

ΜΑΝΤΙΚΡΑΤΩ Cervus dimidiatus recumbens, juxta palmam dactyliferam.

Ephesus, à conditrice *Smyrna* olim denominata, *Asiæ* lumen est, & *Joniæ* urbs illustrissima, ab *Amazonibus* vagabundis & *Asiam* depopulantibus, ad *Caystrum* flumen condita. *Plinius*, 5 lib. 29 cap. Ab *Androclo*, *Codri* regis *Atheniensium* filio, coloniâ deducta, renovata. *Strabo* 14 lib. Denique & ab *Agathocle Lysimachi* filio studiose restaurata. *Pausanias*, in *Attic.*

Habuit magnificum *Dianæ*, non venatricis sed multimammiæ, & omnium viventium nutricis, templum (in nummis apud *Petitum*, Dissert. de *Amazon.* 30 cap) inter orbis septem miracula numeratum, 420 annorum spacio, à tota Asia perfectum. *Plinius*, 36 lib. 14 cap. & 16 lib. 40 cap. Cui pepercit *Xerxes*, cum delubra cuncta *Asiatica* daret ignibus. *Solinus*, 53 cap. posteà tamen ab *Herostrato* incensum, eâ nocte qua *Alexander* *Pellæ* natus. *Solinus*, loc. cit *Plutarchus* in *Alexand.* *Cicero*, 2 lib. de natura Deor.

Apis emissarum coloniarum symbolum est. *Ælianus*, *Plato*, *Varro*, &c. apud *Laur. Pignorium*, Symb. 48 Epist. Præsertim *Atheniensium*; qui tredecim colonias, uno tempore, in *Asiam* deduxerunt: quarum primaria *Ephesus*. *Paterculus*, 1 lib. 4 cap. *Vitruvius*, Archit. 4 lib. 1 cap. Classis autem duces erant *Musæ*, sub apum specie. *Philostratus*, in *Melet.* Hinc & *Smyrnæi*, genus *Atticum* sese

jactantes, apes in nummis ponunt. *Petr. Bellorius*, Not. in Numm. ape insignitis.

Cervum *Ephesiorum* numisma referre *Libanius* docet, in enc. *Dianæ*: quoniam illa victima pro *Iphigenia*, quin imo & plerumque, *Dianæ* oblata. Unde hæc non tantum *Elaphica* dicitur; sed ipsius dies festus, apud *Athenienses* appellabatur ἐλαφηβόλια. *Strabo*, 9 lib. *Pausanias*, in *Boeot.* A *Callimacho* quoque à venatione cervorum Ἐλαφηβόλος cognominatur; Hymn. *Apollinis*: ubi & de ara *Deliaca*, ab *Apolline* quadrimo, ex cornibus sinistris *Cynthiadum* caprearum, à sorore interfectarum, compacto; cujus & meminit *Plutarchus*, in *Thes.* & lib. de Anim. solertia. *Ovidius*, Heroid. 21 epist. 99 vers. *Martialis*, spect. 1 epigr.

Alibi quoque apro *Ephesii* pro signo utuntur; & quidem hac de causa. *Ephesi* conditores dubitantes quo in loco civitas esset ædificanda, ab oraculo tulêre responsum eo loco exstruendum, quem piscis ostenderet & aper hortaretur. Sic piscatoribus prandium præparantibus, exiliens cum prunâ piscis in virgulta & stramenta congesta decidit; quâ congerie accensa, sub ea latens aper, igne perterritus, in montem, quem asperum vocant, confugit, & jaculo transfixus procubuit, ubi postea *Minervæ* delubrum positum. Et hoc loco *Ephesii*, ex insulâ in continentem traiicientes, urbana ædificia inchoavêre, *Dianæ*que templum in foro, ac *Apollinis Pythii* in portu, erexêre. *Athenæus*, 8 lib. Deipnosoph. 16 cap.

Palma vero *Dianæ*, sub eâ natæ, est symbolum. *Homerus*, in Hymn. *Apollinis*. *Ovidius*, 6 Met. 335 vers. *Euripides*, in *Hecub.*

De ΜΑΝΤΙΚΡΑΤΩ nihil habemus certi.

XXXVI.

XXXVI. PRIAPUS, *Hellesponti.*

Veneris pulcherrimæ caput.

ΠΡΙΑΠΕΙΕΩΝ. *Priapeensium* : Palma dactylifera, inter delphinum & navis gubernaculum.

Venerem hîc ſpectamus *Lampſacenam*, Priapi, petulantis hortorum, reique rusticæ præſidis (ut & navigantibus præpoſiti numinis) laſcivam matrem. De quibus, ne nefariis chartamque & animum commaculemus, conſulendi *Virgilius*, *Ovidius*, *Sidonius*, *Petronius*, *Arnobius*, *Diodorus Sic.* & *Pauſanias.* Saltem *Lampſaceni Priapum* pro *Baccho* (reſpice eorum mixtum ſacrificium in cameo, apud *Leon. Agoſtini*, 2 Part. 13 Imag.) & vice verſa, habebant. *Athenæus*, 1 lib. 24 cap. apud quem, in ſolemnitate *Dionyſiaca Ptolemæi Philadelphi*, *Priapus* adſiſtebat *Baccho* in eodem curru. Idem, 5 lib. 8 cap.

Priapus, regionis *Helleſpontiacæ* urbs, à *Mileſiis*, ſive à *Cyzicenis* condita; *Alexandri Magni* tranſitu celebris. *Plinius*, 4 lib. 12 cap. *Strabo*, 13 lib. *Mela*, 1 lib. 19 cap. Nomen habens à *Priapo*, quem ideo *Helleſpontiacum* nominat *Virgilius*, 4 Georg. 111 verſ. & *Auſonius*, *Cupid.* crucif. 86 verſ. Vicina *Lampſaco*, *Priapum* quoque præſertim veneranti. *Ovidius*, 1 Triſt. 9 eleg.

Palma *Venerem* ſpectat, nempe *Cypriam*; palmas enim *Cyprias* commendat *Plinius*, 13 lib. 4 cap.

Delphinus, circa hanc urbem frequens, (*Venereus* piſcis *Gellio*, Noct. *Att.* 7 lib. 8 cap. & puerorum laſcivus amator *Solino*, 22 cap.) oppidorum littoreorum quoque eſt ſymbolum. Mirum & jam olim obſervatum eſt

ventos ac tempeſtates imminere, cum delphines, mari tranquillo, præter ſolitum læti ac ludibundi variis gyris ac flexibus laſciviunt. Legantur, de *Græcorum* ad *Eubæam* fædiſſimo naufragio, *Senecæ Agamemn* 444 & ſeq. verſus.

Temo denique, ſive gubernaculum, quoque urbis maritimæ, navalium ſtudio & peritiâ excellentis, ſignum eſt notiſſimum; quale cernis in *Antiochi* quarti N. apud *Vaillant*, 200 pag.

XXXVII. TEOS, *Joniæ*.

Gryphus ſedens, ſiniſtrumque pedem elevans.

ΤΗΙΩΝ. *Teiorum*: Hederacea corona.

Gryphus *Apollini* ſacratum eſt monſtrum. Unde *Sidonius*, 2 carm. 307 verſ. hoc numen ſic alloquitur:

Nunc ades, ó Pæan, *lauro cui gryphas obuncos*
Docta lupata ligant, quoties per frondea lora
Flectis penniferos *hederis bicoloribus* armos.

Videantur *Claudianus*, 6 conſ. Honorii, 30 verſ. *Philoſtratus*, 3 lib. vit. *Apollonii*, 14 cap. apud *Voſſium*, de Idolatr. gentilium, 3 lib. 100 cap.

Teos Joniæ eſt urbs, *Lebedo* vicina, *Anacreontis* Lyrici patria; una earum urbium ad quas pertinebat *Panionium*. *Herodotus*, 1 lib. 142 cap. *Strabo*, 14 lib. Cujus cives, non ferentes *Perſarum* contumelias, ætate *Anacreontis*, urbe, quam ceperat *Harpagus*, animosè relicta, in *Thraciam* navigavêre, & *Abderam* condidêre.

Hedera perpetuo virens, *Baccho*, ſemper juveni, ſacra eſt. *Paſcalius*, de coronis, 1 lib. 16 cap. *Voſſius*, de

Ido-

Idololat. 2 lib. 12 cap. Verum cum *Bacchus*, ſive *Liber*, atque *Apollo*, ſive *Sol*, idem ſit numen *Diodoro*, *Onomacrito*, *Eumolpo*, &c. hinc in *Apollinari* illo feſto, quod in *Hyacinthi* memoriam triduo celebrant, ritu *Bacchico* coronantur hederâ. *Macrobius*, 1 lib. 18 cap. apud *Voſſium*, lib. cit. 2 lib. 14 cap. & Joh. *Chifletium*, Comment ad Tab. *Abraxeas*, 7 cap. 11 Tab. At quidni reſpicit hæc corona *Anacreontem*, nobilem lyricum? poëtas enim hederâ coronari, è poëtis; *Virgilio*, 8 Eclog. 13 verſ. *Horatio*, 1 lib 2 epiſt. ad *Florum*. *Ovidio*, 5 Faſt. 379 verſ. & 1 lib. Triſt. 6 eleg. & 5 lib. 3 el. &c. nihil notius: placuit tamen præſertim ſequens illud *Propertii*, 4 lib. 1 eleg.

Ennius *hirſutâ cingat ſua dicta corona*,
Mî folia ex hederâ *porrige*, Bacche, *tua*.

XXXVIII. CNOSOS, *Cretæ* inſ.

Europa tauro inſidens, peplum ſinuoſum utraque manu retinens.

ΚΝΩΣΩΝ. *Cnoſiorum*: *Labyrinthus* quadrangularis.

Europæ, *Agenoris Tyrii* filiæ, à *Jove*, in taurum converſo, in *Cretam* inſulam delatæ fabula ex *Ovidio*, 2 Metam. 17 Fab & 5 Metam. 2 Fab. *Horatio*que, 3 lib. 27 od. notiſſima eſt. Illa autem pulcherrima facta, poſtquam puella *Angelo*, *Jovis* & *Junonis* filia, pigmentum matri ſubreptum huic obtuliſſet. Scoliaſtes, ad 2 Idyll. *Theocriti*. Cujus quoque oſſa, apud *Corinthios*, per *Ellotiorum* feſta, in pompa circumferuntur. *Athenæus*, 15 lib. 6 cap. Verum

rum, docente *Luciano*, lib. de D. *Syriâ*, hæc *Europa* *Sidoniorum* eſt dea *Aſtarte*; cultu ſcilicet illius inſtituto in ſolatium *Agenoris*, poſt filiam, à *Cretenſi* quodam prædone raptam. Taurus interim, ejus vector, inter Zodiaci XII ſigna cæleſtia relatus eſt *Hyginus*, Aſtronom. poët. 2 lib. 21 cap. *Manilius*, Aſtron. 1 lib. Quod Aprili menſe ſol intrat. *Seneca*, *Herc.* Fur. 8 verſ.

> *Hinc, quà tepente Vere laxatur dies,*
> Tyriæ *per undas vector* Europæ *nitet.*

Cnoſos, ſive *Gnoſſus*, *Cretæ* quondam non ignobile oppidum, ad *Idam* montem, inter *Gortynen* & *Lyctum.* *Strabo*, 10 lib. *Plinius*, 4 lib. 12 cap. Hodiè *Ginoſa*, vicus: cujus cives, ut *Cretenſes* omnes, arte ſagittandi fuêre nobiliſſimi. Unde *Virgilius*, 5 *Æneid.* 306 verſ.

> Cnoſſia *bina dabo levato lucida ferro*
> *Spicula.*

De *Labyrintho Cnoſſio*, à *Dædalo* artificioſiſſimè exſtructo, *Plutarchus*, in vit. *Theſei*; *Philoſtratus*, in vit. *Apollonii*, 4 lib. 11 c. atque ſic *Seneca*, *Hippolyt.* 645 verſ.

> *Cum prima puras barba ſignaret genas,*
> *Monſtrique cæcam* Gnoſſii *vidit* domum,
> *Et longa curvâ fila collegit via.*

Ubi notandum obiter *Minotaurum*, *Paſiphaê* natum, in hoc *Labyrintho*, fuiſſe concluſum; ibidemque à *Theſeo* peremptum,

ptum, poſtquam huic amans *Ariadne* filum, quo ſe *Labyrintho* explicaret, dediſſet. Verum hæc ex *Hygini*, 42 Fab. nota.

TABULA SEPTIMA.

XXXIX. AMISUS, *Galatiæ.*

CAlais juvenis alatum caput.

ΑΜΙΣΟ. *Amiſo*: Cornu copiæ inter *Dioſcurorum* ſtellata pilea.

Caput hoc, eleganter alatum, certè eſt *Calaïs*, *Zethi* fratris, & *Boreæ* ex *Orythiä Attica* filii: quod, in memoriam conditoris, rectè nummo (confer cæteros *Amiſenorum* cum *Palladiis* ſymbolis apud *Goltzium*, Aſ. 3 Tab.) impoſuit *Athenienſium* hæc inſignis colonia.

Niſi credere mavelis alatos hoſce fratres, cum *Argonautis Colchon* profectos (*Ovid.* 6 Metam. *Val. Flacc.* 1 *Argonaut.*) huc appuliſſe, & ſimul urbis condendæ occaſionem aliquam dediſſe.

Saltem in *Italia Cales*, ſive *Caleſium*, urbem prior condidit, teſte vel ipſo *Silio*, 8 B *Pun.*

Non parvæ conditor urbis
(*Ut fama eſt*) Calais; Boreæ *quem rapta per auras*
Orythia *vago* Geticis *nutrivit in antris.*

iterumque 12 lib.

Threjiciam*que* Calen; *veſtras à nomine nati*
Orythia, *domos!*

Hi quoque *Harpyas*, excæcatum *Phineum* miserè vexantes, abegerunt, & usque in insulas *Strophades*, sive *Plothas*, fugarunt: ab *Hercule* postmodum perempti, & in ventos conversi. *Virgilius*, 3 *Æn.* 212 vers. *Hyginus*, 19 Fab. *Palæphatus*, cap. de *Phineo*.

Amisus Galatiæ nobile est oppidum, haud procul à *Sinope*, ad mare situm; *Athenienfium*, uti diximus, colonia. *Arrianus*, Per. *Pont. Euxini* 128 pag. Libertate donata ab *Augusto*, post *Actiacam* victoriam, A. V. C. 722. *Strabo* 12 lib. Hinc *Amisenorum* civitas libera ac fœderata juniori *Plinio* (10 lib 93 Epist.) vocata.

Cornu copiæ, sicut 32 pag. superius explicatum, felicitatis & abundantiæ est indicium: quippe cum hoc *Pacem* exprimit, inter cæteros, optimè *Seneca*, *Med.* 64 vers.

Quæ dat belligeris fœdera gentibus,
Et cornu *retinet divite* copiam.

De *Dioscuris* quædam diximus ad trigesimum quartum N. Erant autem filii *Ledæ*, à *Jove* sub oloris formâ compressæ; ex cujus ovorum altero *Castor* & *Pollux*, alteroque emersêre *Helena* & *Clytemnestra*. Unde rectè *Horatius*, 2 lib. 1 satyr. de *Polluce*.

Castor *gaudet equis; ovo prognatus eodem*
Pugnis.

Cum verò navigantium maximè propitia sint numina; urbes littoreæ diversæ nomen titulumque ipsorum libenter assumpserunt: ex. gr.

1. *Diosf-*

1. *Dioſcyron*, *Lybiæ* vicus; in quo *Paridem* perſequuti *Helenam* rapuêre fratres. *Stephanus* de Urb.
2. *Dioſcurorum* inſula & urbs, ad mare *Erythræum*. *Plinius*, 6 lib. 28 cap. *Ptolomæus*, 6 lib. 15 cap.
3. *Dioſcurias*, *Æas* & *Sebaſtopolis* quoque dicta, ad *Anthemunta* fluvium; *Mileſiorum* & *Athenienſium* circà *Pontum* celeberrima colonia: ab aurigis ſcilicet fratrum condita. *Plinius*, 6 lib. 5 cap. *Solinus*, 25 cap. Hodiè *Prezunda Nigro*, Geograph. 3 comment.
4. *Tyndaris Siciliæ* urbs, vetuſtiſſima & nobiliſſima, in orâ littorali à *Laconibus* condita. *Cicero*, 4, 5 & 7 *Verrin*. *Strabo*, 6 lib. *Plinius*, 3 lib. 8 cap. *Silius*, 14 B. *Pun*.
5. *Dioſcurias*, ſive *Lacinium*, Magnæ *Græciæ* promontorium, circa *Crotona*: &c.

XL. AMASIA, *Cappadociæ*.

Caput imberbe, diadematum.

ΑΜΑΣΕΙ. *Amaſiæ*: Cornu copiæ inter *Dioſcurorum* ſtellatos pileos.

Caput illud regali faſcia cinctum fortaſsè magni *Mithridatis*, *Ponti* regis eſt. De cujus geſtis *Ludov. Nonnius* ad *Goltzii Aſ*. 4 Tab.

Amaſia, ampliſſima *Ponti* urbs, & totius provinciæ optima metropolis, *Strabonis* geographi patria; quam præfluit *Iris* fluvius. *Plinius*, 6 lib. 3 c. & *Strabo*, 12 lib. Oppidum & hodiè inſigne, nomen retinens,

 à

à *Tavernerio* descriptum, Itiner. 1 Tom. 9 pag.

De cornu copiæ, *pileatis*que *fratribus* abunde dictum. Obiter tamen observandum pileum ut apud *Romanos* & *Macedonas* Libertatis, ita apud *Laconas* Nobilitatis fuisse indicium. Hinc *Ulysses* in nummis exprimitur pileatus: quoniam, propter *Penelopen Lacænam*, civitate donatus, & *Spartanæ* nobilitati est insertus. *Plinius*, 35 lib. 10 c. *Eustachius* ad 10 *Iliad. Homeri.* Hinc *Castores*, etiam genere *Lacones*, semper tecti pileis: quos tamen alii non malè, ob rationes ad trigesimum nonum N. dictas, ovorum vocitant putamina.

XLI. RHODUS, ins. *Asiæ.*

Solis Rhodii radiatum caput.

ΡΟ. ΜΗΝΟΔΩΡΟΣ. *Rhodiorum*, *Menodori*: Rosa, apposito fulminis sigillo.

Rhodos insula est *Asiæ* minoris illustrissima; in *Carpathio* mari, ad meridiem ferè *Cariæ* adjacens: cognomine oppidum, circa *Peloponnesiaca* tempora conditum, habens. *Strabo* 14 lib. *Soli* sacra; testibus in *Priapum* 77 Lus.

Est tutela Rhodos *beata* Solis.

& *Manilio*, 4 Astron.

Tuque domus vere Solis, *cui tota sacrata es.!*

In divisione enim terrarum inter deos abfuerat *Sol*, & cum postmodum de resortitione ageretur, emergentem è fundo

ma-

maris *Rhodum* *Sol* vidit & obtinuit. *Pindarus*, 7 *Olymp*. Hinc nulla dies tam nubila, in qua sol non oriatur in hac urbe. *Plinius*, 2 lib. 62 cap. *Solinus*, 21 cap. Unde *Horatio* ac *Lucano* (cui & *Phœbeïa*) non immeritò *clara* dicitur. Quinmo *Hyperion*, sive *Sol* nomine quartus, ibidem natus, docente *Cicerone*, 3 lib. Nat. Deor. 21 c. *Ampelio*que, 20 pag. apud Antiquitatis caliginosæ sagacissimum perscrutatorem JAC. PERIZONIUM, Differt. ad *Claudii* N. à *Seguino* editum, 267 pag.

Dicitur vero eam habere nomen à *Rhodo*, *Neptuni* filia, *Solis*que amasiâ. *Diodoro*, 5 lib. 55 cap. Plausibilior tamen origo nominis extat apud *Isidorum*, 14 lib. 6 cap. sic enim ille: Rhodos cycladum *prima ab Oriente*, *in quo rosæ caput olim* (*rosæ capitolium* hactenus legêre, etiam cum Nonnio) *dicitur esse inventum*, *dum ibi civitas conderetur*; *ex quo & urbs & insula* Rhodos *est appellata*. Sic locum perquam feliciſſimè restituit omnium litteratorum encomiis digniſſimus GISB. CUPERUS, *Harpocr*. 105. pag.

Denique præsertim nobilitata *Rhodos* colosso *Solis*, immensæ magnitudinis, ut non immerito inter septem orbis miracula fuerit numeratus. *Plinius*, 34 lib. 7 cap. cujus collapsi fragmentis, nongentos camelos oneravit ille (cui *Rhodo*, anno *Christi* 877, captâ) ea vendiderat *Sarazenus*. *Zonoras* & *Cedrenus* apud *Nonnium* ad *Goltz*. *Græc*. insulas. Respicit statuam *Statius*, 1 Sylv. *Domitiani* æneum equum celebrans, & imperatorem alloquens:

Tua sidereas imitantia flammas
Lumina contempto mallet Rhodos *aspera* Phœbo.

Dixi *Rhodon* à rosæ capite, h. e. calyce, nomen accepisse; *Spanhemius* tamen, *Alciphronis* 2 Epist. notabilem locum, 4 Differt 273 pag. citans, asserit in nummis non rosam, sed balaustium, sive mali *Punici* florem, ad lanas tingendas (*Plinius*, 13 lib. 19 cap.) idoneum, conspici. Cui sententiæ, licet ingeniosæ & non vulgari, subscribat qui volet.

Fulminis signum *Jovem* respicit.

De *Menodoro* sive tribuno, sive sacerdote, vel monetæ præfecto, nihil annotamus.

XLII.

Solis radiosum caput.

ΡΟ. ΚΑΛΛΙΣΘΕΝΟΣ. *Rhodiorum:* Rosa, addito & caducei signo.

De *Sole*, *Rhodo*que insula, suprà satis: verum enimverò quod ad radiatam coronam, priscorum regum gestamen, attinet, quid mirum eam *Soli* tribui, quem & *Sophocles*, in *Oed* tyranno, regem vocat. Unde *Virgilius*, in Catalect. de ort. *Solis*:

Sol *insigne caput* radiorum *ardente* corona
Promit, *ab æquoreis* Tethyos *ortus aquis.*

illa autem duodecim radiis, ob totidem *Zodiaci* signa, distincta. De his *Seneca*, *Oedip.* 250 vers. ad *Solem*:

Tu-

Tuque, ô sereni maximum mundi decus,
Bis sena cursu signa qui vario regis.

Hinc quoque *Latinus* rex (cui mater *Circe*, *Solis* filia) corona radiatâ exornatus, apud *Virgilium*, 12 *Æn.* 162 vers.

Cui tempora circum
Aurati bis sex radii *fulgentia cingunt;*
Solis *avi specimen.*

Caduceus insigne est *Mercurii*, mercatorum præsidis; de quo sic omnium optimè *Fulgentius*, 1 lib. 20 c. *Virgam verò, serpentibus nexam, ob hoc adjiciunt, quod mercatoribus det aliquando regnum, ut sceptrum; & vulnus, ut serpentes.* Ille quoque virga Pacis dictus; quod eo (ab *Apolline* pro lyra accepto) in *Arcadiâ* duos angues dimicantes à se invicem discusserit. *Macrobius*, 2 lib. 19 cap. *Hyginus* Astronom. 2 lib. 7 cap. de Lyrâ.

Verum quoniam *Mercurius* quoque & eloquentiæ sit Deus, caduceus hîc fortè *Rhodiorum* indicat eloquentiam; quam inter *Atticam* atque *Asianam* mediam statuit *Quintilianus*, institut. Orat. 12 lib 10 cap. quin imò *Rhodos* adeò litterarum studio floruit, ut plurimi eò tanquam ad commune gymnasium confluerent: annotante *Nonnio* ad *Goltzii* Ins. *Græc.* 23 Tab.

Callisthenes fortassè monetarius, vel aliquis ob merita in patriam celebrandus. Ita, apud *Goltzium*, Insul. *Græc.* 23 Tab. in *Rhodior.* nummis legas nomina *Timothei*, *Aristei*, *Ganasimachi*, &c.

XLIII.

XLIII. CHIOS, inſ. *Aſiæ*.

Sphynx reſidens, pede dextro premens amphoram.
ΧΙΟΣ ΑΣΜΕΝΟΣ. *Chios*. *Aſmenus*: Amphora diota.

Sphingem nummis impoſuêre *Chii* propter *Homerum*, *Iliade* & *Odyſſeis* notiſſimum poëtam, quem ſuum illi vendicabant. *Cicero*, Orat. pro *Archia*. Nam hinc & ipſum *Homerum* monetæ ſuæ inſculpſerunt. *Jul. Pollux*, 9 lib. 6 cap. At quid cum *Homero Sphynx*? ſanè quoniam ea ſapientiæ ænigmaticæ, oraculiſque involutæ ſtudium indicat, & *Homerus* Fabularum & allegoriarum parens elegantiſſimus habetur. *Spanhemius*, 3 Diſſert. contrà *Triſtanum*, 218 pag.

Sphynx autem hæc non *Ægyptiorum* (quæ capite ſtola velato, & ſine pennis) ſed *Græcorum*; à quibus illa pennata & pingitur & fingitur. *Ælianus*, 7 lib. *Auſonius*, in Gryph. num ternarii, &c.

Amphora indicium eſt optimi vini, quod *Arviſium* nominant authores; nempe quod in *Arviſio* naſcebatur: qui locus, docente *Strabone*, aſper & importuoſus, optimum totius *Græciæ* præbebat vinum. De vino *Chio* multa *Plinius*, 14 lib. 7 & 15 c. *Horatius*, 1 lib. 10 ſat. 2 lib. 3 ſat. & 9 Epod. &c. & de *Arviſio* ſpeciatim *Virgilius*, 5 eclog. 71 verſ.

Vina novum fundam calathis Arviſia *nectar*.

Chios Ionum celeberrima inſula eſt, urbem cognominem habens, inter *Lesbum Samumque* poſita: *Strabo*, 13 lib. Mar-

Marmore, (*Plinius*, 5 lib. 31 cap.) Ficubus (*Martialis*, 13 lib. 23 epigr.) &, ut diximus, *Homeri* natalibus, vinoque generosissimo clara: hodie *Scio*.

De *Asmeno* nihil.

X L I V.

Sphynx residens; addito racemo.

ΧΙΟΣ. ΜΗΝΟΔΟΡΟΣ. *Chios, Menodorus*. Cadus *Chius*, & *Dioscurorum* stellati pilei.

De *Sphynge* mox dictum: *Statii* tamen eximius locus de *Thebanâ*, obviis ænigmata proponente, & non solventes interimente, minime est prætereundus. En illum è 2 *Thebaid.* 504 vers.

Contrà importuna crepido
Oedipodioniæ *domus alitis: hic fera quondam*
Pallentes erecta genas, suffusaque tabo
Lumina, concretis infando sanguine plumis,
Relliquias amplexa virûm, semesaque nudis
Pectoribus stetit ossa premens, visuque trementi
Conlustrat campos, si quis concurrere dictis
Hospes inexplicitis, aut cominus ire viator
Audeat, & duræ commercia jungere linguæ.

De *Dioscurorum* pileis superius ad tricesimum quartum, et quadragesimum N.

Menodori Chii mentio nusquam nobis occurrit.

TABULA OCTAVA.

XLV. MYTILENE, inſ. *Lesbi.*

IOΥ. ΠΡΟΚΛΑΝ ΗΡ. . . . . . *Juliam Proclam* Heroïnam: Caput hujus heroïnæ, gradibus inflexos gerentis capillos, humeris amiculo obtectis.

ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. *Mytilenæorum: Sappho* poëtria reſidens, & lyram gremio imponens.

Similem ferè exhibuit nummum, Select. Numiſm. 61 pag. non vulgaris judicii vir *Petr. Seguinus*; verum ut hac incognitæ mulieris elegantiſſima imagine Antiquariorum induſtriam ſolummodo acuat & excitet; non enim clarè edocet quæ ſit illa *Julia Procla* heroïna, conjectatque interea *Procli Grammatici*, ſub imperatore *Mar. Aurelio* conſulis, & ad proconſulatum evecti eſſe filiam. At ille ex *Lycia* oriundus, & nummus noſter in inſulæ *Lesbi* primaria civitate cuſus. *Strada* tamen & ex eodem *Triſtanus*, apud *Spanhemium*, 7 Diſſert. 637 pag. credunt eam uxorem *Probi* imperatoris; cum tamen dubio procul nummus, ætate *Probi* ſuperior, circa *Antoninorum* tempora ſit ſignatus. *Harduinus* denique, Num. Ant. Illuſtr. 335 pag. auguratur eam eſſe filiam illius *Claud. Aurel. Procli*, quem & heroëm pariter vocant *Thyatireni*, in inſcriptione vetuſta, apud *Sponium*, Itiner. *Athen.* 1 Tom. 393 pag. Eam ſaltem, quæcunque tandem fuerit, cæleſtes honores conſequutam titulus heroïnæ adſcriptum docet. Tali enim

enim ſenſu heroïnæ nomine utitur *Ovidius*, 1 Triſt. 5 eleg.

Prima locum ſanctas heroïdas *inter haberes.*

Neque enim omnes viros fœminaſque principes, à quibus ſalutem & incolumitatem accepiſſent, in numerum Deorum referebant *Græci*, ſed & ſæpiſſimè tantum honoribus heroïcis afficiebant; quemadmodum *Plutarchus*, (lib. de Mulier. virtutibus) exemplo *Lampſaces* apertè definit. In heroïcis enim honoribus tantum donata ſtatua, &c. verum in divinis aderat etiam ſacrificium. *Voſſius*, de Idololatr. 1 lib. 12 et 13 cap. ubi de *Lynceo, Hyacintho, Seleuco Nicatore*, &c. heroïbus illuſtribus.

Capitis hunc ornatum non indecorum *tutulum Varro*, *coronamque turritam*, 2 *Pharſ.* 358 verſ. vocat *Lucanus:* qualis *Junonis* in *Samiorum* noſtro 137 N. De diſpoſitis hoc modo crinibus *Manilius*, 5 Aſtron. 113 pag.

Illis cura ſui cultus, frontiſque decoræ
Semper erit: tortos *in fluctum ponere* crines,
Aut vinclis revocare *comas*, *&* vertice denſo
Fingere, *& appoſitis caput emutare capillis.*

Et, ut ſolet, ſalsè *Juvenalis*, 6 ſat. 502 verſ.

Tot premit ordinibus, *tot adhuc* compagibus *altum*
Ædificat *caput*; Andromachen *à fronte videbis*,
Poſt minor eſt.

Quibus adde & *Statii*, 1 Sylv. Epithalam. *Stellæ*, 113 verſ.

I 2 Cel-

Celsæ procul aspice frontis honores,
Suggestum*que comæ.*

Mytilene urbs libera *Lesbi*(*Æolicarum* insularum fertilissimæ) nobilissima & maxima, inter *Methymnam* & *Maliam* sita. *Plinius*, 5 lib. 31 cap. *Pittaci* Sapientis, *Alcæi* Lyrici, & *Sapphûs* poëtriæ natalibus merito gloriosa. *Diogen. Laertius*, in *Pitt. Strabo*, 13 lib. &c. Cujus urbis laudes apud *Horatium*, 1 lib. 7 od. ejusque imitatorem *Martialem*, 10 lib. 68 epigr. & præsertim propter agros jucundos & fertiles, apud *Ciceronem*, orat. contra *Rullum* occurrunt.

Hæc autem *Sappho*, (harmoniæ Mixolydiæ, tragœdiis aptæ, & plectri inventrix. *Suidas*; *Plutarchus*, de Music. 518 pag.) tanto in honore à *Mytilenæis* est habita, ut omnibus numismatibus ejus imago imprimeretur. *Jul. Pollux*, 9 lib. 6 cap. Miserè deperibat *Phaonem*, *Lesbium* nautam; qui factus formosissimus postquam *Venerem*, sub anus specie apparentem, sine mercede transfretasset. *Ælianus*, Var. 12 lib. 18 cap. & *Palæphatus*, 49 cap. de *Phaone*. Sed ab isto spreta, injuriæ impatiens, in *Acarnaniam*, ad *Leucaten* petram sese contulit, indèque, in amoris remedium, sese in mare dedit præcipitem. Hinc de eâ (præter *Statium*, 5 sylv. Epiced. Patris) hoc modo *Ausonius*, *Cup.* cruc. 24 vers.

Et de nimboso saltem Leucate *minatur*
Mascula Lesbiacis Sappho *peritura sagittis.*

Itaq;

Itaque postmodum ad hanc petram, è totâ *Græcia* recipiebant sese amatores desperantes, ut, ab ea sese in mare mittentes, (viris autem hic saltus solummodo salutaris) amoris insaniâ liberarentur. *Strabo*, 10 lib. *Servius*, ad 3 *Æn.* 274 & 279 vers. & ad 8 Eclog. 59 vers Sed de *Leucadio* hoc saltu quotannis instituto videatur *Photius*, 190 Cod. apud *Jos. Scaligerum*, & *Ptolemæus*, *Hephæst.* filius apud *Jac. Tollium*, ad *Ausonii* loc. citatum.

Denique & hæc *Sappho* vocatur à citato *Ausonio* & *Horatio* (1 lib. 19 epist.) *mascula*, quod puellas amicas & sodales amabat, et fœdissimè sectaretur.

XLVI. POLYRENE, insf. *Cretæ*.

Bacchi caput juvenile et cornutum.

ΠΟΛΥΡΗΝΙΩΝ. *Polyreniorum :* Tauri oblati vittatum caput, sacro cultro subtus posito.

Bacchus, qui et *Liber Pater*, alibi *Indus* est et barbatus; ob inventum torcular ad divinitatem evectus: *Diodorus*, 3 lib. 63 c. alibi verò *Bœoticus*, et imberbis; *Indico* recentior, et *Jovis Semeles*que filius: quibus accedit et tertius, *Creticus* (de quo nos hîc) in hac insula, ut *Cretensibus* placuit, natus. *Diodorus*, 5 lib. 75 c. *Fingebantur autem* (inquit *Macrobius*, 1 lib. 18 cap.) Liberi Patris *simulacra* (de quo quoque *Psila*, h. e. alato, *Pausanias*, in *Lacon.*) *partim puerili ætate, partim juvenili, præterea barbata, senili quoque.*

Itaque Puerum (nisi *Cupidinem* illum vocitare mavelis) exhibet *Gorlæus*, 31 gem. *Boissardus*, in mar-

more , 6 part. 53 imag. & *Choul.* Relig. *Rom.* Ant. 134 pag.

2. Adolescentem *Cotiensis Caracallæ* N apud *Tristanum*, 207 et 208 pag. *Boissardus*, 3 part. 149 imag.

3. Senem 21 et 22 Gemma, apud *Begerum*, 30 pag. *Naxiorum* N. apud *Goltzium*, *Græc.* inf. 18 Tab. denique apud *Spanhemium*, ad *Juliani* Cæs. 30 pag. videatur *Pausanias*, in *Eliac.* prior &c.

Undè, secundum *Diodor.* & *Ulpian.* in *Demosthenem*, ad hanc *Bacchi* variam ætatem convenientes legebantur, in *Bacchanalibus*, puerorum, virorum, & senum chori; notante ad *Leon. Agostini* 51 pag. superius laudato GRONOVIO.

At & cornutus subindè in scenam prodit apud *Canini*, 100 Imag. apud *Begerum*, in *Teniorum* N. 240 pag. Hinc, præter *Euripidem*, in *Bacch. Nonnum*, 12 *Dionys.* 201 vers. *Plutarchum*, lib. de *Isid.* & *Osir.* *Diodorum*, 3 lib. 64 cap. *Athenæum*, 15 lib. *Hesychium*, *Horatium*, 2 lib. 19 od. *Val. Flaccum*, 2 *Argonaut.* *Nemesianum*que 3 eclog. optimè *Ovidius*, *Heroid.* 15 epist. 23 vers.

Sume fidem & pharetram; fies manifestus Apollo:
Accedant capiti cornua; Bacchus *eris.*

& *Sidonius*, 22 carm. proëm. 26 vers.

Caput aurea rumpunt
Cornua, *& indigenam jaculantur fulminis ignem.*

Sic

Sic ipse, *Plutarcho* (*Græc.* quæst. 36) vocatus taurus, apud *Cyzicenos* tauriformem habuit statuam; docente *Athenæo*, 11 lib.

Sed cur ille cornubus decorus? sive quod vinum cornua addat ebriis; sive potius, quod cornubus bubulis in conviviis usi prisci, vina in iis miscentes. *Athenæus*, loc. proximè cit. *Eustachius* & *Dydimus*, ad 8 & 13 *Iliad. Xenophon*, 6 lib. Exped. *Cyri*; in fine: iterumque, 7 lib. in convivio *Seuthis* &c. *Nemesianus*, denique 10 eclog.

> *Tum* Satyri, *lasciva cohors, sibi pocula quisque*
> *Obvia corripuit. Quod sors dedit, hoc capit usus*;
> *Cantharon hic retinet*; cornu *bibit alter* adunco;
> *Concavat ille manus, palmasque in pocula vertit.*

Quem morem & gentes barbaræ ad Septentrionem retinuêre diutissimè. *Plinius*, 11 lib 37 cap. Videantur insignia talia & emblematibus mirè exornata apud *Thom. Bartholinum*, 30 cap. de Unicornu; & *Havelmannum*, de famoso illo cornu comitis *Oldenburgici*.

Polyrhene, sive *Polyrhenium*, urbs est *Cretæ*, circà montes Albos; multis ovibus abundans, & inde nomen sortita. *Plinius*, 4 lib. 12 cap. *Ptolemæus*, 3 lib. 17 cap. Cujus cives etiam arte sagittandi nobiles. *Polyrheniorum* enim sagittariorum meminit ita *Polybius*, 5 lib. 61 cap. de *Philippo* rege loquens: *Assumptis autem* Epirotis, *qui omnes suas vires* Macedonibus *conjunxerant*, & *funditoribus trecentis, qui ex* Achaia *missi fuerant*, Cretensibus *item trecentis*, *quos* Polyrhenii *miserant*, *pergebat ire*; &c.

Tau-

Tauri caput vittatum *Neptuni* cultum, etiam in hac insula, respicit; ei enim immolatum fuisse taurum docent *Virgilius*, 3 *Æn.* 119 vers. & *Statius*, 2 *Achill.* 299 vers.&c. heroïs hujus discessum è *Scyro* cantans:

Fluctuque sub ipso
Cæruleum regem tauro *veneratur*, *avumque*
Nerea; vittatâ *genitrix placata juvenca est.*

Unde, apud *Arrianum*, 6 lib. *Alexander*, ad *Indi* fluminis ostia, tauros *Neptuno* cæsos in mare projicit. Sed inspiciatur quoque *Servius*, ad *Æn.* lib. cit. *Macrobius*, 3 Saturn. 10 cap.

Vittæ denique, in hoc N. quæ tridentes *Begero*, præter corollas & serta, victimarum erant solennia ornamenta; quarum in sacrificiis quoque meminêre *Virgilius*, 3 Georg. 486 vers. et 2 *Æn.* 133 vers. & *Ovidius*, 15 Met. 130 vers. *Seneca*, *Thyest.* 686 vers. *Juvenalis*, 12 sat. 118 vers. apud *Choulium*, *Stuckium*, & *Saubertum*. Verum sufficiant hæc Ovidii, jam citati, 7 Metam. 428 vers.

Feriuntque secures
Colla torosa boum, *vinctorum cornua* vittis.

XLVII. AEGAE, *Macedoniæ.*

Apollinis lauro cinctum caput.

ΑΙΓΑΕ. *Ægæ*: Capræ nescio quid ore retinentis caput.

De *Apolline*, ejusque attributis, jam multa ad octavum, vigesimum quartum, & trigesimum secundum N. superius.

Laureatus autem plerumque ab artificibus exhibetur, quod, *Daphne* in laurum transmutatâ, eam perpetuò lu-

lubens geſtaverit. Sic enim ipſe, apud *Ovidium*, 1 M etam 557 verſ. ad amatam:

At quoniam conjux mea non potes eſſe,
Arbor eris certè, dixit, *mea: ſemper habebunt*
Te coma, *te citharæ*, *te noſtræ*, laure, *pharetræ!*

Sed de corona laurea legatur *Plinius*, 15 lib. 30 cap. *Paſcalius* de Coron. 8 lib. 1 cap. & ſeq.

Ægæ, *Macedoniæ* nobilis urbs, ab ovibus, quas paſcebat, *Melobotira* dicta; regionis hujus antiquorum regum ſedes, &, *Perdicca* jubente, ſempiternum ſepulchretum. *Plinius*, 4 lib. 10 cap. *Solinus*, 14 cap. *Juſtinus*, 7 lib. 1 cap. qui, 2 cap. obſervat credi extinctam in *Alexandro* ſtirpem, quod locum ſepulturæ mutaverit. Prius *Edeſſa* nuncupata; verum caprarum gregem, obſcurato cælo, ſequendo eam occupans *Caranus* nomen mutavit, populumque vocavit *Ægeatas*. Hic autem rex *Philippus*, *Alexandri* pater, occiſus eſt à *Pauſania*. *Joſephus*, Antiq. *Jud.* 11 lib. 8 cap. in cujus N. apud *Goltzium*, 30 Tab. capræ geminæ procumbentes *Carani* regis egregiam oſtentant memoriam.

An potius *Ægeum* campum numiſma reſpicit? qui propè *Cyrrham*, ſub *Parnaſſo* monte urbem *Apollini* ſacram; circa hanc enim & *Delphos*, in viciniâ campi *Ægei*, capræ *Apollinis* oraculum primò manifeſtarunt. *Diodorus*, 16 lib. 26 cap. unde & in *Delphorum* N. ſimile capræ caput cernitur. *Goltzius*, 8 Tab. Niſi *Ægii* ſit, urbis *Achaiæ*, in *Peloponneſo*. *Plinius*, 4 lib 5 cap. ubi *Jupiter* capellæ lacte eſt enu-

tritus; ut ex *Arato*, ad *Goltz. Græc*: 9 Tab. observat *Lud. Nonnius*. Nam certè *Æga*, liberum *Ciciliæ* oppidum (de quo *Plinius*, 5 lib. 27 cap. ut nec aliæ *Lydiæ*, *Æolidis*, *Eubœæ*, *Thracensis Chersonesi*, *Locridis*, & *Ætoliæ*, cognomines urbes hujus loci sunt.

XLVIII. ABDERA, *Thraciæ*.

ΑΒΔΗΡΙΤΕΩΝ. Abderitarum: *Apollinis* radiatum caput.
Ρ. ΦΙΛΙ. *Philippi*: Gryphus exultans, inter astrum solis & clavam *Herculis* medius.

Abdera civitas libera, *Plinio*, 4 lib. 11 cap. *Democriti* patria, *Thraciæ* potentissima urbs, in orâ maris *Ægæi*, ad amnem *Nessum*; à *Diomedis Thracii* sorore nomen habens; posteà pulchra *Tejorum* (de quibus superius) colonia. *Herodotus*, 1 lib. 168 cap. *Diodorus*, 13 lib. *Strabo*, 14 lib. de Teo. 443 pag. *Solinus*, 15 cap. *Mela*, 2 lib. 2 cap.

Ejus autem incolas passim ut stupidos traducunt *Juvenalis*, 10 sat. 50 vers *Martialis*, 10 lib. 25 epigr. &c. sed *Lucianus* (Dial. quomodò Hist. sit scribenda, 600 p.) eos à febre miro delirii genere correptos narrat; ita ut non nisi tragœdias & jambica cantillarent. Hi denique, propter immensam ranarum & murium vim, patrium solum, regnante *Cassandro*, mutavere, & in ultimis *Macedoniæ* finibus agros occupavere. *Justinus*, 15 lib 2 cap.

Caput hoc radiatum forsan *Apollinis* est *Milesii*: quippe *Miletus* urbs *Joniæ* princeps, à *Cretensibus* ad mare condita. *Mela*, 1 lib. 17 cap. celebre templum habens *Apollinis Dydimæi*. Sed de hoc *Strabo*, 14 lib. 436 p. *Plinius*, 5 lib. 29 cap.

29 cap. *Curtius*, 7 lib. 5 cap. *Suetonius*, *Calig.* 21 cap. *Statius*, 8 *Theb.* 199 verſ. *Pauſanias*, in *Arcad.* *Apulejus*, 7 lib. *Macrobius*, Saturn. 1 lib 17 cap.

Gryphus *Apollinis* dicatus eſt ales; de quo è *Sidonio*, &c. ad trigeſimum ſeptimum N. Adde tamen & hiſce *Apulejum*, 11 Metam. qui ſic de *Solis* acu pictô pallio: *Humeris dependebat, pone tergum, talorum tenus, pretioſa chlamyda, quaqua tamen viſeres, colore vario circumnotatis inſignibat animalibus; hinc dracones Indici, inde* gryphes *Hyperborei, quos in ſpeciem* pinnatæ alitis *generat mundus alter.*

An tamen hoc ſymbolo, in ingratiſſimam memoriam *Perſarum*, *Solem* venerantium, uſi fuerint *Abderitæ*, judicet peritus polyhiſtor; *Xerxes* ſaltem, poſt cladem ad *Salaminem* acceptam, in *Aſiam* refugiens, & *Abderam* tranſiens incolas, ingentibus antea ſumptibus exhauſtos, convivio adhibuit, & (*Herodoto* 8 lib. 120 cap. narrante) acinace aureo & tiara auro intertexta donavit.

Clava denique *Philippi* regis ab *Hercule* deſcendens ſtemma notat; de quâ ſuperius plus ſatis.

XLIX. HIPPIAS, *Theſſaliæ*.

ΙΠΠΙΑΣ. *Hippias:* Equus decurrens dimidiatus.

ΙΠΡ. Crater anſatus.

Omnia hîc abdita, obſcura, & caliginoſa; quamvis & apud *Goltzium*, inſ. *Græc.* 28 Tab. in *Caralitarum* N. planè ſimilem equum, ſimilem craterem conſpiciamus? quippe vocabulo *Hippiæ* deſtituitur, quod in noſtro clarè legitur. Quid ergo? quid ſibi vult illud *Hippias!* eſtne nomen ma-

giſtratus, nobilisve præfecti vel monetarii? eſtne fortè nomen filii *Piſiſtrati*, *Athenienſium* tyranni? equitatu prævalentis adverſus *Spartanum Cleomenem*; qui idcircò planiciem, in quâ dimicaturus erat, arboribus proſtratis equiti inviam fecerat? *Frontinus*, Strategem. 2 lib. 9 cap. de quo *Hippia*, in *Marathonio* prælio contrà *Perſas* cæſo, *Juſtinus*, 2 lib. 9 cap. Vel potius *Bæotorum* (ſec. *Polybium*, 1176 pag.) ſive *Theſſalorum* (ſec. *Livium*, 42 lib 54 c.) prætoris; à *Coronæis*, quod cum *Perſeo* ſocietatem contraxerat, ejecti; & poſtmodum Regis ejuſdem ducis & apud *Romanos* legati?

Verum hæcce mihi ſcribenti *Stephanus* aurem vellit & admonuit *Phalannam*, urbem *Perrhebiæ* ad *Peneum* fluvium prope *Tempe*, & *Hippiæ* nomen habuiſſe; ſcilicet ex fide *Hecatæi*, 1 lib. Hiſtor. Saltem *Phalannæ* meminit quoque exactè *Strabo* 9 lib. 303 pag. & obiter *Livius*, 42 lib 54 cap. Remotis ergò conjecturis cunctis præmiſſis hunc elegantem nummum urbis eſſe *Hippiæ* vix dubitarem. Sed, ut veriſſimè *Terentianus* (Adelphor. 5 act. 4 ſc.) ratiocinatur *Demea*,

Nunquam ita quiſquam benè ſubducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, uſus ſemper aliquid apportet novi,
Aliquid moneat, ut illa quæ te ſcire credas, neſcias:
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Equus decurrens non ſolummodò civitatis nomen, ſed & ipſam *Theſſaliam* reſpicit, equeſtri laude multum pollentem,

tem, nobiliumque equorum greges plurimis in locis alentem; uti indicavimus ſuperius ad ſeptimum, iterumque ad nonum N. Undè & equites *Theſſali*, apud *Græcos* in præliis ſemper maximè deſiderati; *Philippus*que *Alexandri* pater *Theſſaliam* invadebat, *non prædæ cupiditate, ſed quod exercitui ſuo robur* Theſſalorum *equitum adjungere geſtiebat. Juſtinus*, 7 lib. 6 cap.

Cui & præſertim victoria ad *Granicum* amnem adſcribitur. *Diodorus*, 17 lib. 21 cap. Sic equitatus *Theſſalici* vim, ſi turmatim & acie juſta pugnent, ſuſtineri vix ac ne vix quidem poterat. *Polybius*, 4 lib. 8 cap. Ad rem *Lucanus*, 6 Pharſal. 396 verſ.

> *Primus ab æquorea percuſſis cuſpide ſaxis*
> Theſſalicus *ſonipes*, *bellis furialibus omen*,
> *Exiluit*; *primus chalybem*, *frænoſque momordit*,
> *Spumavitque novis* Lapithæ *domitoris habenis.*

Quid quod *Theſſali* omnium primi in arte equeſtri excelluêre, ut *Pelethronii Lapithæ*, ac *Centauri*; *Pholoên*, *Oſſam*, *Othryn*, alioſque *Theſſaliæ* montes inhabitantes, quorum mentionem faciunt *Virgilius*, 3 Georg. 115 verſ. *Statius*, 9 *Theb* 220 verſ. 10 *Theb.* 222 verſ. & 2 *Achilleid.* 398 verſ. &c. Unde & in *Theſſalià* primò conſpectus fuit equus, cui nomen *Scyphius*. *Pindar.* interpræs in 4 *Pythior*. *Valer. Probus* ad *Virg* 1 Georg. Sed inſpicias *Plinium*, 7 lib. 56 cap.

Crater poculum cæteris eſt majus; heroïcis enim temporibus ſignatè largius potatum; ut abundè poëtarum car-

mina demonstrant. Præsertim *Centauri*, genere *Thessali*, ebrietate apud Poëtas infames. Quam ob rem *Ovidius*, *Pirithoï* & *Hippodames* nuptias, *Lapitharum Centaurorum*que intempestivam pugnam describens, *Eurytum* hisce, 12 Metam. 219 vers. alloquitur:

Nam tibi sævorum sævissime centaurorum
Euryte, *quem vino pectus, tam virgine visa*
Ardet; & ebrietas geminata libidine regnat.

Videas quoque 1 Art. Amandi, 593 vers. *Virgilii* 2 Georg. 455 vers. &c. *Stesichorum* Lyricum, & de hoc *cratere* speciatim *Juvenalem*, 12 sat. 44 vers.

Urnæ cratera *capacem*
Et dignum sitiente Pholo: scilicet *Centauro*.

L.

Diana sedens, arcumque remissam dextra retinens.

ΑΘ. *Ath*. . . Aper.

Nummulus obscuritate priori minimè inferior. Non enim hîc ausim legere *Athoïtarum*; quorum tamen nummos ostentat *Goltzius*, *Græc*. 24 Tab. ut nec *Atheniensium*, & multo minus *Ætolorum*; licet adsit *Diana*, spretæ religionis aspera vindex, *Calydoniæ*, regno *Oenei* (qui, eâ neglecta, diis omnibus frugum primitias obtulerat) aprum, agros passim vastantem, & armenta agricolasque tollentem immittens. *Ovidius*, 8 Metam. 282 vers. &c.

Aper ne ergò est ille *Calydonius*, *Ætoliam* infestans? nam, præter hunc & *Erymanthium*, in *Erymantho*, *Arcadiæ* monte, ab *Hercule* occisum, tertium, magnitudine vel eximio robore celebrem, aprum apud authores non invenimus.

Sal-

Saltem *Martialis* hosce conjungit, 11 lib. 69 epigr. ubi sic *Lydia* canis, ab apro interfecta:

Fulmineo spumantis apri sum dente perempta,
Quantus erat Calydon, *aut*, Erymanthe, *tuus*!

TABULA NONA.
LI & LII. PELOPONNESUS.

TEstudo, cujus dorsi spina nodulis octo distincta. Area quadrangularis, similiter octies divisa.

Peloponnesus, nomen habens à *Pelope*, *Tantali Phrygiæ* regis filio (qui populum è *Phrygia* in hanc terram, barbarorum anteà habitationem, adduxit. *Hecatæus*, apud *Strab.* 7 lib. 222 pag.) undique mari cingitur, præterquam ubi *Corinthicus* isthmus continenti *Græciæ* annectitur. Figurâ, (*Dionysio*, *Mela*, 2 lib. 3 cap. *Solinoque*, 12 cap. docentibus) ob sinus & promontoria, queîs ut fibris littora ejus sunt incisa, platani folio non absimilis: quemadmodum à *Job. Laurenbergio*, *Græc.* Ant. 14 pag. non eleganter depingitur.

In nostro tamen nummo testudini assimilatur, fortè ob prominentiarum, sive promontoriorum, maximè insignem *Chelonatem*, urbemque proximam *Chelonen*, h. e. testudinem. *Plinius*, 4 lib. 5 cap. Hodiè *Capo di Chiarenza*. Undè fortasse sic *T. Quint. Flaminius* apud *Livium*, 36 lib. 33 cap. *Si utilem* inquit, *possessionem ejus insulæ* (Peloponnesi) *censerem* Achæis *esse*, *author essem* Senatui Populoque Romano *ut eam vos habere sinerent: cæterum sicut* testu-

testudinem, *ubi collecta in suum tegimen est, tutam ad omnes ictus video, ubi exerit partes aliquas, quodcunque nudavit, obnoxium atque infirmum habere: haud dissimiliter vos* Achæi, &c. Eadem ferè *Plutarchus*, in *Flamin.* 100 pag. hoc modo: Achæis *quidem* Zacynthum *insulam sibi vindicare intendentes dehortans periculosum forè dixit quemadmodum* testudinibus *extra testam, ita ipsis extra* Peloponnesum *caput protendere.* Nodi & Arearum sectiones (in priori quinque & in posteriori nummo octo) non adeò totidem promontoria quam partes divisionesque insulæ hujus celebratissimæ respiciunt. Sunt autem hæ:

1. *Corinthia.*	2. *Sicyonia.*
3. *Achaja.*	4. *Elis*
5. *Messenia.*	6. *Arcadia.*
7. *Laconica.*	8. *Argia.*

Sed videatur de hisce divisionibus, præter *Thucydidem*, 1 lib. *Joh Bunonis* ad *Phil. Cluveri* 4 lib. 7 cap. illustrationes.

LIII. ÆTOLIA.

Palladis galeatum caput.

ΑΙΤΩΛΩΝ. *Ætolorum*: *Hercules* stans, dextram leonis exuviis involvens, lævamque clavæ imponens.

Palladem hîc denuò exhibemus, *Græcorum* perpetuam fautricem; de quâ ad decimum N. quippe

1. *Achilli* & 2. *Ulyssi* auxilio venit; quemadmodum ad nonum N. notavimus.
3. *Diomedi Ætolorum* duci, ad *Trojam* cum cæteris *Graiis* pugnanti, fuit subsidio. *Homerus*, 5 & seq. *Iliad.*

Iliad. eique fatale simulacrum *Trojanis* exosis eripiendum concessit. *Virgilius*, 2 *Æneid*, 165 vers. *Ovidius*, 13 Met. 344 vers.

4. *Tydeo*, patri hujus, *Oenei* regis filio, *Thebani* belli tempore, opem tulit. *Statius*, 8 *Theb.* 713 vers.
5. *Jasoni*, vellus aureum petituro, auxiliatricem porrexit manum, *Argo* navim fabricans. *Val. Flaccus*, 1 *Argon.* *Seneca*, *Med.* 365 vers. Vide quæ ad sexagesimum nostrum N.
6. *Bellerophonti*, *Glauci*, *Corinthiorum* regis filio, succurrit, dum fræno injecto pegasum domat; unde *Chalinitis*, h. e. Frænatrix, dicta. *Pausanias*, *Corinth.* 161 pag. Videas inferius nostrum 126 N.
7. *Herculi* denique adstitit, *Eurysthei* regis mandata crudelissima exequenti; ex gr. Hydram ad flumen *Amymonem* sagittis configenti. *Pausanias*, *Eliac.* prior. 588 pag. Hinc, apud *Goltzium*, *Sicil.* 9 Tab. in *Heracleensium* nummis, *Hercules Nemæum* leonem pectoris attritu suffocante, noctua (*Palladis* ales) leonis armis insidet. Ita & hunc adjuvavit in duello contra *Cycnum*, *Martis* filium. *Hesiodus*, in *Herc.* Scuto.

Ætolia ad orientem *Locros Ozolas* habet vicinos, meridionale vero ejus latus *Jonius* sinus alluit; dum ab occidente amne *Acheloo* ab *Acarnania* dividitur, & à septentrione ad *Coracem* montem porrigitur. Verum videas de hac *Strabonem* apud *Lud. Nonnium* ad *Goltzii Græc.* 7. Tab.

Hercules est non ille antiquissimus, *Ægyptius*; de quo *Diodorus*, 1 lib. 17 cap. *Tacitus*, 2 lib. 26 cap. neque *Tyrius*; de quo *Justinus*, 44 lib. 4 cap. & nos superius, ad 28 N. neque *Lybicus*; de quo *Pausanias*, in *Phoc*. *Solinus*, 10 cap. *Isidorus*, Origin. 14 lib. 6 cap. *Silius*, 12 B. *Pun* 497 pag neque *Creticus*, sive *Telchinius*, *Olympici* certaminis author; de quo *Diodorus*, 3 lib. 74 cap. neque *Romanus*, sive *Sabinus Sancus*; de quo *Varro*, de L.L. 4 lib. *Festus*, *Propertius*, 4 lib. 10 eleg. neque *Germanus*, sive *Celticus*; de quo *Tacitus*, Mor. *Germ*. 9 cap. *Lucianus*, *Herc. Gall*. 1 cap. verum *Thebanus*, *Amphitryonis* filius, horum omnium famigeratissimus; cum quo *Achelous*, *Ætoliæ* amnis, *Dejaniræ*, *Oenei* filiæ, quoque nuptias ambiens, in luctæ certamen infeliciter descendit. *Ovidius*, 9 Met. 31 vers. *Diodorus*, 4 lib. 35 cap. *Strabo*, 10 lib. 315 p. *Hyginus* 31 Fab. Cui postmodum *Dejanira*, zelotypia furens ob sibi prælatam *Iolen*, vestem venenatam misit, atque hoc modo necis author fuit. *Sophocles*, in *Trachin*. *Ovidius*, modò citatus, 9 Metam. 157 vers. *Seneca*, Herc *Oetæi*, 571 vers. Verum de *Hercule* plura superius, ad 5, 6, 15, 16, 17, 26, & 28 N.

LIV. CROTON, *Italiæ*.

Aquila cervi capite insistens.

990. *Croton*: Tripus.

De Aquilarum felici augurio nihil hîc repetemus; satis suprà scripta ad 1, 18, & 23 N. de hac tamen nostra sic appositè *Justinus*, 20 lib. 3 cap. *Pugnantibus* Locris (cum *Crotoniensibus*) *ab acie aquila nunquam recessit, eosque tam*

diu

diu circumvolavit quoad vincerent. Nisi & aliam victoriam respiciat aquila; nempe *Brundusiensem* fortè: quippe urbis *Brundusii* (describit *Lucanus*, 2 *Pharſ.* 610 verſ.) portus, frequenti utrinque flexu, cornua cervini capitis repræsentat; undè rectè Βρεντέσιον dicitur, quod, *Messapiorum* lingua, cervi caput sonat. *Strabo*, 6 lib. 195 pag.

Ita, procul dubio, in similem victoriæ memoriam, in *Troadensi* N. apud *Vaillant*, Colon. 320 pag. aquila bovis caput; in *Adranensium* N. apud *Goltzium*, *Sicil.* 6 Tab. leporem; in *Pydnensi* nostro superius, 1 N. serpentem calcat.

Croton, *Achæorum* colonia (describit *Livius*, 24 *lib.* 3 *cap.*) *Italiæ* oppidum in *Bruttiorum* regione, ad sinum *Tarentinum*, juxtà *Æsarum*, ex oraculi *Delphici* monitu, à *Myscello* conditum; *Rhegio* urbi & *Lacinio* promontorio vicinum. *Strabo*, 6 lib. 181 c. nomen habens à *Crotone*, *Herculis* ex *Hispania* redeuntis hoſpite; cujus juſſu, in gratiam *Crotonis*, imprudenter ab eo interfecti, urbem conditam fuiſſe docet *Ovidius*, 15 Met. 22 verſ.

Patrias age deſere ſedes;
I pete diverſi lapidoſas Æsaris *undas.*

& mox, 48 verſ.

Grates agit ille parenti
Amphitryoniadæ: *ventiſque faventibus æquor*
Navigat Jonium; Lacedæmonium*que* Tarentum
Præterit, & Sybarim, Salentinum*que* Neæthum,
Thurinos*que ſinus*, Temeſen*que* & Japygis *arva*;

Vixque pererratis quæ spectant littora terris,
Invenit Æsarei *fatalia fluminis ora;*
Nec procul hinc tumulum, sub quo sacrata Crotonis
Ossa tegebat humus; jussáque ibi mœnia terrâ
Condidit, & nomen tumulati *traxit in* urbem.

videas & *Suidam*, *Jamblichum*, de vit. *Pythag.* 9 cap. *Aristoph.* Scoliasten, in Nub. *Diodorum*, 12 lib. 9 cap. urbs salubris, athleticæ rei studens, bellipotens, victoriâque contrà *Locros* animosa. *Pythagoreorum* habuit scholam, & civem *Milonem.* *Strabo*, loc cit. *Dionysius*, *Eustachius*, &c. præterea & *Junonis Laciniæ* templum nobilissimum. *Livius*, loc. modò cit. Sed videatur *Cluverus*, *Ital.* Ant. 4 lib 15 cap & *Goltzii*, *Magn Græc.* 29 Tab.

Tripus, (in quo quoque sacrificabant aræ loco veteres) significat *Apollini* sacra in eo oppido fieri solita; hoc enim, *Delphico* authore, conditum, & huic, bello adversus *Locrenses* ingruente, decimæ prædæ à *Crotoniensibus* votæ. *Justinus*, lib. modò allegato. Videas interim de tripode *Apollinis* quæ ad vigesimum quartum N.

Denique & obiter observa (cum *Begero*, 178 pag.) notam ϙ in *Crotoniensium*, ut in *Syracusanorum* nummis, locum K obtinere.

LV. DYRRACHIUM, *Macedoniæ*.

ΔΥΡ. . . . ΙΠΠΟΥ. *Dyrrachii; Philippi: Alcinoï* quadrangularis hortus.

ΜΕΝΙΣΚΟΣ. *Meniscus:* Vacca lactans vitulum; apposito navis clavo. *Dyr-*

Dyrrachium (describit *Lucanus*, 6 lib. 17 & seq. vers) olim *Illyrico*, post *Macedoniæ* attributa urbs, *Epidamnus* anteà dicta, *Corcyræorum*, duce *Phalio Corinthio*, colonia maritima *Strabo*, 7 lib. 219 pag. *Mela*, 2 lib. 3 cap. *Thucydides*. 1 lib. ubi lepidissimorum suorum *Menæchmorum* scenam ponit nobilis ille *Sarsinas*.

Vocatur Δυῤῥάχιον, quod ibi, cautium asperitate, difficile littus; at mox, euphoniæ gratià, Δυῤῥάχιον. *Eustachius*. Hodiè *Ragusa*; verum lege quæ ad *Goltzii Græc.* 1 Tab. latè prosequitur eruditissimus nummorum illustrator *Nonnius*.

Alcinoï hortus (*Corcyæorum* conditorum (vide & hunc in *Corcyræ* Nummis, apud *Goltzium*, Ins. 1 Tab. gratissima est memoria; *Corcyræ* enim (in quâ *Phæaces*, *Alcinoo* rege, habitarunt) pomariorum tanta fuit fertilitas & copia, ut fructibus præmaturis novi mox succederent. Unde *Statius*, 1 Sylv. vill. *Tiburt. Manl. Vopisci*, 81 vers.

> *Quid bifera* Alcinoï *laudem* pomaria? *vosque*
> *Qui nunquam vacui prodistis in aëra rami?*

Martialis, 8 lib. 68 epigr.

> *Qui* Corcyræi *vidit* pomaria *regis*.

Vacca lactans nihil aliud signat quam agros urbis compascuos & fertiles, civesque agriculturæ studiosos: quemadmodum clavus potentiam maritimam significat; de quo superius, ad 36 N.

Vox *Philippi* vel *Menisci* nomen monetariorum præfecti, prætoris, tribuni, vel *Poletæ* alicujus refert.

LVI.

ΔΥΡ. ΠΑΥΣΑΝΙΑ. *Dyrrachii*; P*ausania* : Hortus *Alcinoi*.
Vacca lactans vitulum ; addito monogrammate.

De omnibus modò dictum ; neque P*ausaniæ* nomen aliud quam præfectum aliquem *Dyrrachiensem* significat.

TABULA DECIMA.

LVII. MACEDONIA.

S*ileni* caput barbatum, pampinis cinctum.
ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. *Macedonum* : Corona hederacea.

Silenus Bacchi est educator, senex calvus, asello plerumque vectus; cujus meminêre *Ovidius*, 1 lib. de Arte, 26 vers. 4 Metam. 543 vers. *Nemesianus*, 10 eclog. & *Seneca*, *Oed.* 429 vers.

Te senior turpi sequitur Silenus *asello*,
Turgida pampineis *redimitus tempora* sertis.

Corona hederacea *Bacchum* quoque spectat, qualem describit *Statius*, 7 *Theb.* 652 vers.

Clypei penetrabile textum
Pallentes hederæ Nisæa*que serta* coronant.

Attamen non solum *Bacchi* (vide 37 N. superius) sed & *Priapi*, *Satyrorum*que erat ornamentum. *Athenæus*, 5 lib. *Theocritus*, 3 epigr. apud *Pascalium*, 1 lib. de coronis, 18 cap.
In-

Interim respicit hic nummus *Macedonum* vetusta *Bacchica* & *Orpheïca* mysteria; *Edonum* ac *Thracum*, montem *Æmum* accolentium, furiosis sacris similia: quorum ritus quoque *Olympias*, *Alexandri* mater, ut *Macedonicarum* cæteræ puellæ, celebravit. *Plutarchus*, in vit. *Alexandri*, 7 pag. unde & illa pampinis ornata conspicitur in cameo, apud *Leon. Augostini*, 76 imag. ut ad hanc gemmam observat pluries citatus GRONOVIUS.

Macedonia, *Macetia* prius & *Emathia* dicta, *Græciæ* regio nobilissima, centum & quinquaginta populorum altrix, inter duo maria, *Ægæum* ab oriente, & *Jonium* ab occasu sita, *Thraciæ*que & *Dalmatiæ* ad septentrionem annexa; à meridie denique *Epiro* terminata. *Strabo*, Excerp. 7 lib. 228 pag. *Livius*, 45 lib. 29 cap. &c. apud *Nonnium* ad *Goltzii Græc.* 22 Tab.

LVIII.

Jovis olea revinctum caput.

ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. *Macedonum:* Fulmen alatum.

De *Jove*, *Macedonum* tutelari numine, & de oleaginea corona superius ad 6, 8, & 9 N. Erat autem olea proprium *Jovis* coronamentum. *Phurnutus*, *Jov.* 9 cap. qui, post *Titanas* devictos, hoc munere à diis cæteris est honoratus. *Diodorus*, apud *Tertullianum*, de coron. Militis. Sed de *Jovis* coronis floreis, frondeis, & metallicis, quas ei tribuere solet erudita antiquitas, videatur passim, lib. cit. *Pascalius*

De fulmine ad 8 N. ubi & belli typus est; quo sensu quoque eo usus est *Claudianus*, 1 laud. *Stilich.* 197 vers.

A

A primo descendens fluminis ortu
Ad bifidos tractos, & juncta paludibus ora,
Fulmineum *præstrinxit iter.*

Verum de alis speciatim dixit 2 Rapt. *Proserp.* 228 vers.

Ni Jupiter, *æthere vulso,*
Pacificas rubri torsisset fulminis alas.

LIX.

Palladis Victoriæ caput.

ΓΑΙΟΥ ΤΑΜΙΟΥ ΠΟΠΙΛΛΙΟΥ. *Caii Popilii* quæstoris: quernea corona.

De *Pallade*, quæ & *Victoria* cognominata, diximus abundanter ad 18 N. Et de *Jovis* quercu ad 5, & 8 N. nec plura annectere visum.

Quæstoris nomen video & in altero *Macedonum* nummo, apud *Harduinum*, in Addend. 579 pag. estque forsitan hic *Popilius*, è *Popiliorum* apud *Romanos* optimâ gente, cujus membrum *C.* P*opilius Lænas*, consul, qui *Antiochum Epiphanem*, *Antiochi* M*agni* natuminorem filium, *Syriæ* furiosum regem, P*tolemæum* P*hilometora* opprimere conantem, asperitate suâ *Ægypto* excedere coëgit. *Livius*, 45 lib. 12 cap. *Val.* M*aximus*, 6 lib. 4 cap. P*aterculus*, 1 lib. 10 cap. *Iustinus*, 34 lib. 3 cap. &c.

L X

Palladis ejusdem caput.

ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΤΑΜΙΟΥ. ΛΕΥΚΙΟΥ. ΦΟΛΚΙΝΝΙΟΥ.

Ma-

Macedonum. Quæſtoris *Lucii Pholcinii* : querna corona. De *Pallade* modò: quercus verò *Iovi* debetur, uti ad 5 & 8 N. ſcripſimus; licet alias & *Cereri* ſit ſacrata, eamque in *Cerealibus* (in memoriam glandis, quâ veſcebantur mortales antè *Cereris* beneficium) circumferant ruſtici. Unde ſic *Virgilius*, 1 georg. 347 verſ. agricolarum religionem deſcribens:

Neque antè
Falcem maturis quisquam ſupponat ariſtis,
Quam Cereri, *tortâ* redimitus *tempora* quercu,
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

L X I.

Palladis ejuſdem caput, intrà lauream.

ΓΑΙΟΥ ΤΑΜΙΟΥ. Quæſtoris *Caji.* Bos paſcens.

De *Pallade* jam dictum; niſi quis mallet hîc urbem *Romam* repræſentari: de qua ſic *Prudentius*, contra *Symm.* 1 lib. 219 verſ.

Colitur nam (Roma) *ſanguine & ipſa*
More deæ, nomen*que* loci *ceu numen habetur.*

Adde quod, inſtar *Palladis*, & à poëtis, & à nummorum exſculptoribus, armata & galeata depingatur; eam enim *Claudianus* hoc modo (confer *Neronis* N. apud *Choulium*, 161 pag.) deſcribit, in conſ. *Prob.* & *Olybr.* 83 verſ.

Ipſa, triumphatis quæ poſſidet æthera regnis,
Aſſilit, innuptæ ritus imitata Minervæ.

Nam neque Cæsariem crinali stringere cultù,
Colla nec ornatu patitur mollire retorto:
Dextrum nuda latus, niveos exerta lacertos,
Audacem retegit mammam, laxumque coërcens
Mordet gemma sinum; nodus, qui sublevat ensem,
Album puniceo pectus discriminat ostro.
Miscetur decori virtus, pulcherque severo
Armatur terrore pudor; galeæque minaci
Flava cruentarum prætenditur umbra jubarum.

Imaginem vero pete à *Fulvio Ursino*, in nummis præsertim *Aureliæ*, *Corneliæ*, *Domitiæ*, &c. gentium.

Bos ille *Macedoniæ* planam & campestrem regionem, fertilem, pascuis optimis felicem, & boves pulcherrimos nutrientem significat.

LXII. AMPHIPOLIS, *Macedoniæ*.

Jovis diademate redimitum caput.

ΑΜΦΙΠΟΛΙΤΩΝ. *Amphipolitanorum.* Clava intra querceam coronam.

De *Jove* superius satis.

Amphipolis urbs libera est *Macedoniæ*. *Plinius*, 4 lib. 10 cap. inter hanc & *Thraciam* sita. Sic dicta ab *Agnone*, duce *Atheniensium*, capta quod à fluvio *Strymone* utrinque allueretur, atque ita circumhabitaretur; cum antea *Novem viæ* appellaretur. *Thucydides*, 1 & 4 lib *Suidas*, *Herodotus*, in *Polyhymn.* 114 cap. Tandem & *Christopolis* nominata, ut hodiè *Christopoli*, sive sermone *Turcarum*, *Emboli*. *Tinedo* ad *Stephan.* 78 pag.

Phi-

Philippo regi & *Atheniensibus* hæc bellorum causam præbuit: qui bis occupatam, *Thraciæ* ademptam, *Macedoniæ* primo adjecit. *Diodorus*, 16 lib. 8 cap. Bello verò *Peloponnesiaco* ea, duce *Brasida*, proditione quorundam, *Atheniensibus* per *Lacedæmonios*, erepta, postmodum tamen, per inducias, iterum iis fuit restituta. *Thucydides*, 4 lib.

Hæc autem fusius enarrata à *Nonnio* ad *Goltzii Græc.* 25 Tab. De *Quercu* & clava, *Jovis* illa hac *Herculis* symbolo, superius; nihilque occurrit quod adjungi meretur.

TABULA UNDECIMA.

LXII. BIAS, *Messeniæ*.

C*astoris* & *Pollucis* laureata capita.
BIATE. Eques.

De hoc argenteo nummo sic *Harduinus*, Num. illustr. Pop. & Urb. 92 pag. *Nummum sic inscriptum videre nobis sanè non licuit: sed extare tamen retulerunt ad nos viri in re nummaria eruditi. Fuit autem in* Messenia, *quæ pars* Achajæ, *Bias amnis, teste* Pausania, *lib.* 4. Messen. *pag.* 144. *Amni cognominem civitatem appositam ex nummo eo singulari, si genuinus quidem est, admonemur.* Hactenus ille: cui hujus genuini nitidissima pictura, nuper, die 13 Feb. anni 1687, transmissa est.

LXIV.

Incerti alicujus horridum caput.

ƆONNOIA. *Lionnos*; à dextris finistram versus legendo: Eques.

Hunc rudem nummum, quemadmodum & priorem, intricatissimæ significationis, peritioribus enodandos relinquimus:

Fessa labat mihi pondere cervix,
Et tremefacta cadunt succiso poplite membra.

LXV. THESSALIA.

Jovis olea cinctum caput.

ΘΕΣΣΑΛΩΝ... ΛΕΞΑΝΔ... ΜΕΝΕΚΡΑΤΩ.

Thessalorum. Alexandri. Menecrato: *Pallas* gradiens, hastam vibrans & scutum protendens.

Jupiter hîc exhibetur *Larissæus*, cujus mentionem facit *Strabo*, 9 lib. 303 pag.

Thessalia Græciæ regio, hinc *Macedoniam*, & illinc habens *Bœotiam*, ad mare inter amnem *Peneum* atque *Thermopylas* extensa; montibus distincta viginti quatuor altissimis; quorum nobilissimi *Olympus*, *Pelion*, *Ossa*, *Pindus*, *Pierus* & *Othrys*: fluminibus denique elegantibus divisa; sed horum insigniora *Apidamus*, *Enipeus*, & *Peneus*. At de hac consulendus quoque *Nonnius* ad *Goltzii Græc.* 19 Tab.

Pallas hæc est illa *Itbonia* ab *Ithone*, vicina urbe, nomen habens; à *Thessalis* religiosè culta; cui, debellatis *Galatis*, tropæum erexit rex *Epirotarum*, *Pyrrhus*. *Pausanias*, *Attic* 56 pag. cujus templum præterlabens amnis *Curalius* intrat *Peneum* fluvium. *Strabo*, 9 lib. 301 pag.

Pal-

Palladem verò à bellicosa hac gente præsertim veneratum fuisse non est adeò mirum, cum bellis quoque præsit, quæ non minus consilio quam viribus geruntur. Sic *Virgilius Latinas* matres, hisce verbis eam implorantes, 11 *Æn.* 483 vers. inducit:

> *Armipotens* belli *præses*, Tritonia *virgo*,
> *Frange manu telum* Phrygii *prædonis.*

Sed & *Claudianus* de eâ, & *Diana* comite, 2 Rapt. *Proserp.* 20 vers.

> *Utraque virgo ruunt*; *hæc tristibus aspera* bellis,
> *Hæc metuenda feris.*

LXVI.

Jovis coronatum caput.

Centaurus palmæ ramum gerens humeris: Inscriptio prorsus erosa.

Centauri, *Thessaliæ* populi, secus *Pelium* vicinosque montes habitantes, primi equos domare, & ex iis pugnare cæperunt. Hinc fabula orta de *centauris*, humanis partim, partim equinis membris deformibus, nubigenis: quorum sic meminit *Lucanus*, 6 *Pharsal.* 386 vers.

> *Illic semiferos* Ixionidas centauros
> *Fœta* Pelethroniis *nubes effudit in antris.*

& *Statius*, 9 *Thebaid.* 220 vers.

> *Semifer aëria talis* centaurus *ab* Ossa
> *Desilit in valles*, *ipsum nemora alta tremiscunt*,
> *Campus equum.*

Horum autem maximè à poëtis celebrati *Pholus*; qui *Herculem* hoſpitio ſuſcepit, eique trium lagenarum craterem, quem ipſe prius obbibiſſet, obtulit. *Steſichorus*, in Lyr. & *Juvenalis*, ſuprà ad 49 N. citatus. & *Chiron*; omnium juſtiſſimus, *Æſculapii*, *Herculis*, *Achillis*, aliorumque heroum magiſter & pædagogus. *Statius*, 1 Achill. 106 verſ. à ſagittis *Herculis* infeliciter poſtmodum læſus, mortuus, & in cæli partem auſtralem tranſlatus: à *Sagittario*, in *Zodiaco*, planè diverſus. *Ovidius*, 5 Faſt. 413 verſ. *Manilius*, Aſtron. paſſim; *Hyginus*, 1 Aſtr. poët. 38 cap.

Interim hic palmam læva tenet, prorſus ut *centauri* illi, currum trahentes, in denario gentis *Aureliæ*, apud *Urſinum*, 43 pag. quam ſymbolicam imaginem (ab *Urſino* neglectam) *C. Julii* de *Pompejo Magno* victoriam, in campis *Theſſaliæ Pharſalicis* partam, reſpicere, Apoth. *Homeri*, 213 pag. contendit ſuprà laudatus CUPERUS.

Qualem verò hic nummus notet victoriam, deficiente rerum indicio, neſcire cogimur.

LXVII.

ET. . Π. . . Equus dimidiatus recumbens.

MA. . . . . . . Racemus.

Elegantior & nitidior nummus, huic ſimilis, obſcuriſſima hæc ænigmata fortaſsè illuſtraret Nobis hîc hæret aqua. Eaſdem ſaltem imagines intueri licet in *Poſidoniæ*, *S. Pæſti*, à *Dorienſibus* conditæ urbis, nummo apud *Goltzium*, Magn. *Græc.* 21 Tab Hunc tamen non *Italiæ* ſed *Græciæ* (quidni *Macedoniæ?*) regioni vel urbi alicui tribuere nobis placeret. Verum ad ſequentem tranſeamus.

LXVIII.

LXVIII.

Neptuni diadematum caput, retrò eminente tridente.

ΘΕΣΣΑΛΩΝ. *Thessalorum: Argo* navis prora.

Neptunus (Ποσειδῶν Græcis) in orbis inter fratres divisione, maris regnum obtinens tridentem, peculiare ejus regni sceptrum, gerit. *Franc. Sweertius*, ad *Abr. Ortelii* Deor. Dearumque cap. Hinc *Ausonius*, *Mosell.* 80 vers.

Cui cura secundæ
Sortis, & æquorei cessit tutela tridentis.

Unde & *Troezenii*, loco *Neptuni*, tridentem in nummis percussêre; monente *Plutarcho.*

Veteres igitur eum rei nauticæ præposuêre; verum & equestri, postquam, tellure tridente percussa, equum produxit, cum *Pallade* certans de nomine *Athenarum*. *Ovidius*, 6 Met. 76 vers. *Lucanus*, 6 *Phars.* 396 vers. & optimè *Virgilius*, 1 georg. 12 vers.

Tuque, ô cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percussa tridenti,
Neptune!

Unde dictus *Hippius Græcis*. *Diodorus*, 5 lib. 69 cap. sicuti *Consus Romanis*, qui, in *Neptuni Equestris* honorem, instituêre *Consualia*. *Varro* 5 lib. de L.L. *Dion. Halycarn.* 1 lib. 14 pag. *Livius*, 1 lib. 9 cap. *Servius*, in 8 *Æn.* *Plutarchus*, in *Romulo*; & *Tertullianus*, Spect. 5 lib.

Hic autem in *Thessalia*, divulsis montibus, amni *Peneo* per amœnissima *Tempes* loca, dedit exitum in mare. Testatur id *Claudianus*, 2 Rapt. 179 vers. *Plutonis* ad inferos iter enarrans.

Sic,

Sic, cum Thessaliam *scopulis inclusa teneret*
Peneo *stagnante palus, & mersa negaret*
Arva coli, trifida Neptunus cuspide *montes*
Impulit adversos.

videas & *Senecam, Herc.*Fur.283 vers.& *Herodotum,*7 l. 129 c.
Navis *Argo* in *Thessalia* est fabricata; nempe *Pagasis*, quæ urbs *Demetrias* postea dicta. *Lucanus,* 6 *Pharſ.* 400 vers. *Statius,*1 *Achill.* 65 vers. & quidem à *Pallade*: quam quoque architecturæ præesse demonstratur *Virgilii*, 2 eclog. 61 vers.

Pallas *quas condidit* arces
Ipsa colat.

Et idcircò, *Minervâ*, *Neptuno*, ac *Vulcano* de artificio contendentibus, illa domum efformavit. *Lucianus, Hermotim.* 518 pag. *Oppianus*, Halieut. 2 lib. *Hadrian. Junius,* 1 Emblem. certè ejus consilio ab *Argonautis* compacta: qui, docente *Hygino*, 14 Fab. omnes *Thessali.* De *Pallade* sic modò citatus *Claudianus*, Bell. Get. 14 vers.

Licet omnia vates
In majus celebrata ferant, ipsamque *secandis*
Argois *trabibus jactent sudasse* Minervam;
Nec nemoris tantum junxisse carentia sensu
Robora, sed cæso Tmarii Jovis *augure luco,*
Arbore præsaga tabulas animasse loquaces.

sed consule & *Valer. Flaccum*, 2 *Argonaut.* Materia verò cæsa in monte *Pelio*; unde navis hæc *Peliaca* trabs *Propertio,* 3 lib.

3 lib. 21 eleg. & arbor *Pelias Ovidio*, 12 Epist. *Heroid.* in specie quidem ex alno contexta *Argo*. *Val. Flaccus*, *Argon.* 1 lib. 203 vers. vel è pinu sive fago. *Orpheus*, *Argon. Seneca*, *Med.* 336 vers. *Phædrus*, 4 lib. 6 Fab. vel ex abiete. *Ennius*, apud *Ciceron.* ad *Herenn.* 2 lib. vel ex eone, h. e. robore. *Plinius*, 13 lib. 22 cap. saltem in ejus carina lignum è *Dodonæo* loquaci quercu impegit *Juno*; unde & quandoque voce humanâ loquuta. *Apollonius*, 4 *Argon. Val. Flaccus*, passim; *Seneca*, trag. cit. 349 vers.

Hæc denique navis, expeditione *Colchica* peracta, inter astra collocata. *Hyginus*, Astron. poët. 2 lib. 37 cap. & *Manilius*, 5 lib. 24 vers. hisce verbis:

Et ratis *heroum*, *quæ nunc quoque navigat* astris.

TABULA DUODECIMA.

LXIX. THESSALONICA, *Macedoniæ*.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Thessalonicensium:* Urbis genii turritum caput.

ΚΑΒΕΙΡΟΣ. *Cabirus: Cabirus* stans (similem *Seguinus* exhibet, 15 pag.) dextrâ capricornum, lævâque fabrilem malleum gestans.

Thessalonica, *Macedoniæ* urbs, dicta prius *Therme*. *Strabo*, 7 lib. Excerp. 228 pag. in *Thermæi* sinus intimo recessu sita: à *Cassandro* restaurata, & hinc ab ejus uxore (de quâ 28 pag. superius) *Thessalonices* nomen sortita. *Strabo*, loc. cit. hodiè tamen, corrupti nominis servans vestigia,

Salonichi dicta. Urbs valida & populosa, missis litteris *Pauli*, gentium Doctoris, quoque apud *Christiadas* clara; immodicam *Theodosii* senioris iram magno cum damno experta. Meminit ejus *Claudianus*, 2 lib. in *Rufinum*, 278 vers.

> *Tristior* Æmoniis *miles digressus ab oris*
> *Tangebat* Macetûm *fines*, *murosque subibat*,
> Thessalonica, *tuos!*

Plura de hac *Nonnius*, ad *Goltzii Græc.* 23 Tab.

Cybele, quæ & *Ops* sive *Rhea*, *Saturni* conjux, eadem cum *Tellure* est habita; quæ, quia cuncta parit, *Magna Mater* dicitur, & urbium turrigeris mœnibus coronatur, ob rationes pulcherrimè adductas, à *Lucretio*, 2 lib. 606 vers.

> Murali*que caput summum cinxêre* corona,
> *Eximiis munita locis quod sustinet urbes.*

& *Ovidio*, 4 Fast. 219 vers.

> *At, cur* turrifera *caput est onerata* corona?
> *An primis turres urbibus illa dedit?*
> *Annuit.*

Videantur & *Servius*, *Arnobius*, aliique in re notissima.

Ad exemplum ejus turrigeri quoque genii plerarumque urbium, *Alexandriæ*. *Ursinus*, in *Æmyl.* 7 pag. *Rhodi*, *Seguinus*, judicante PERIZONIO, 259 pag. ut & *Smyrnæ*, *Antiochiæ*, *Edessæ*, *Clazomenarum*, &c. *Patinus*, 386 pag. *Begerus*, 280 pag. & nos inferius, 106, 129, 142, 149, & 150 N.

Un-

Unde & ipſam *Romam* turritam depingit *Sidonius*, 5 carm. *Majorian.* 13 verſ.

> *Sederat exerto bellatrix pectore* Roma,
> *Criſtatum* turrita *caput*, *cui pone capaci*
> *Caſside prolapſus perfundit terga capillus.*

De *Cabiris* ſive diis, ſive dæmonibus, h e. deorum miniſtris, apud priſcos varii variè. Ex obviis ad rem noſtram ſequentia hæc excerpſimus.

Cabiri, Κάβειροι *Græcis*, nomen habent ab *Hebraico cabir*, quod ſonat *magnus*, *fortis*, &c. ſic *Cabiri*, dei *magni* ac potentes. *Ger. Voſsius*, 2 lib. Idololatr. 57 cap.

Fuêre verò numero tres, nempe: *Axieros*, h. e. *Ceres*; *Axiocerſa*, h. e. *Proſerpina*; & *Axiocerſus*, h. e. *Pluto*; accedente quarto, ut miniſtro & famulante, *Caſmila*, ſive *Camillo*, h. e. *Mercurio*. *Apollonii* ſcoliaſt. ad 1 *Argonaut.* apud *Voſsium*, loc. cit. & *Lud. Carrionem* ad *Val. Flacci* 1 *Argonaut.* 106 pag. *Joh Meurſium*, *Græc.* Feriat. in *Cabiriis*.

Venerati & culti illi apud *Samothraces*, à *Pelaſgis* edoctos; cum & hi *Samothraciam* quondam unà cum *Athenienſibus* incoluerint. *Herodotus*, *Euterp.* 51 cap

At cum ſacra *Cabirorum* turpia & obſcæna eſſent (conſule de *Mercurii* ſtatuâ citatum *Herodotum*) de iis nihil efferre neque audire quicquam licebat cuiquam, niſi qui de *Cabiris* eſſet initiatus. Unde *Diagoras* impietatis accuſatus, quod eorum, (ut & *Eleuſiniorum*) ſacra myſteria publicaverit & irriſerit. *Cicero*, de Nat. Deor. 3 lib. 37 c. *Athe-*

nagoras; apolog. pro *Christianis*, ad *Marcum* & *Commodum*, Impp. 37 pag. & *Vossius*, de Hist. *Græcis*, 436 pag.

Violaverat ea quoque anteà rex *Cambyses*, in *Cabirorum* templum, alteri quam sacerdoti inaccessum, ingressus; simulacra, quæ illic erant (multis in ea jocatus verbis) tradens ignibus. *Herodotus*, Thaliæ, 37 cap.

Sic aliqui de *Cabyris*. Sunt tamen qui *Phœnicum* eos opinentur deos, *Beryti* præsertim cultos. *Damascus*, apud *Phot.* Biblioth. *Sanchoniaton*, apud *Euseb.* Præparat. Euangel 1 lib. & qui *Cabiros* homines & *Deûm Matris* sacerdotes fuisse, nomenque à *Cabiro*, *Berecynthiæ* monte, accepisse doceant. *Strabo* 10 lib. apud *Vossium*, 53 cap.

Nec desunt qui *Cabirorum* (obscuram sanè) gentem circa *Thebas* habitasse contendant. Nempe, expugnatis *Thebis* ab *Argivorum* exercitu, sedibus suis ejecti, tandem in *Cabiræam* terram sunt reducti; compertumque est rerum certissimis eventis eos, qui religiones horum violassent, inexpiabilis sceleris pœnam effugere nequiisse. Qui enim de *Xerxis* copiis, (duce *Mardonio* in *Bæotia* stativa habentibus) *Cabirorum* templum introïerant, sive ingentis prædæ cupiditate, sive potius ad numinis contemptum, omnes, insania correpti, partim in mari sese abjecêre, partim de præruptis rupibus præcipitavêre.

Postmodum, *Alexandro Thebarum* urbem & agrum pervastante, *Macedones* intrà *Cabirorum* fanum irruperunt, verum cuncti, cælitus missis ignibus, exanimati sunt. *Pausanias*, *Bæot.* 414 & seq. pag.

Denique & demonstrant non pauci eos δαίμονας fuisse vo-

vocatos, *Mulcibere*, h. e. *Vulcano*, & *Cabera* (*Trotei* filiâ) genitos; mortalibusque eos æris ferrique mulcendi artem concessisse. *Suidas*, apud *Harduinum*, ad *Thessalonic.* N. 203 p.

Iis autem, sive diis sive dæmonibus, agros regionesque integras religiosissimè dedicabant. Sic enim de suprà nominatis *Pelasgis Dion. Halycarnassæus*, 1 lib. 10 pag. *Quum enim* Pelasgi *in agro suo sterilitate rerumque omnium penuria laborarent*, Jovi, Apollini, & Cabiris *se rerum omnium, quæ in posterum nascerentur, decimas oblaturas voverunt*. Et de *Pergamenis Pausanias*, *Attic.* 28 pag. *Quam verò* Pergameni *incolunt terram*, *eam* Cabiris *sacram fuisse perhibent*.

Ita in horum honorem *Cabiria* certamina *Thessalonicæ* celebrata; teste Nummo *Gordiani* apud *Morellium*, 13 Tab. 1. Lævâ malleum gestat hic noster *Cabirus*, ut filius *Vulcani*, qui, fabrorum deus, cum fabrilibus instrumentis ponitur in *Lemniorum* (apud quos ipsius officina) N. apud *Goltz. Græc.* Insl. 13 Tab.

Dextra autem capricornum, *Zodiaci* scilicet decimum signum; quod sol mense *Decembri* ingrediens, solstitium facit hybernum. Cum verò Aries in *Antiochiensium*, Leo in *Berytensium*, Taurus in *Cyrrhestarum*, Sagittarius in *Bostrenorum* & *Singarenorum*, Capricorni denique in *Zeugmatensium* nummis, (apud *Vaillant*, de Colon. & Munic. 330 pag.) hosce populos annum sub istis signis inchoare significent, quidni Capricornus hic notat tempus certaminum ludorumque solennium, exhibitorum *Thessalonicæ*? quæ, vicina *Lemno*, *Vulcani* hanc prolem sumpsit protectorem,

LXX.

Jovis oleâ coronati caput.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Thessalonicensium* : Aquila fulmini trisulco insistens.

De *Jove* & olea ipsius *Olympia* sæpè superius; de aquilâ itidem & fulmine ad priores tabulas.

LXXI.

Jovis simile caput.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Thessalonicensium*. Navis rostrata prora.

De *Jove* diximus.

Navis hæc pars quid aliud indicaret quam maritimæ hujus urbis industriam ac potentiam? quod de aplustre ad 33, & de clavo sive temone ad 36 N. superius confirmavimus: nisi victoriæ alicujus navalis hanc velit esse argumentum.

LXXII.

Mercurii laureatum caput; prominente à cervice caduceo.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Thessalonicensium* : *Apollo* nudus, pelle amictus, stans, lævâ pedo pastorali innitens, dextra vero lauream capiti imponens: apposito quoque monogrammate.

Mercurius, *Hermes Græcis*, mercatorum est præses; de quo diximus ad 42 N. à virga, sive caduceo suo dictus caducifer *Ovidio*, 2 Met. 708 vers.

Hinc se sustulerat paribus caducifer *alis*.

Hic

Hic autem caduceus *Mercurii* est insigne etiam apud *Ægyptios*. *Apulejus*, 11 Metam. 262 p. *Lucianus*, &c. Hinc *Herm-Anubis* apparet, canino capite, læva tenens sistrum, & dextra caduceum, in N. *Helenæ*, apud *Patinum*, 483 pag.

Apollo hic est *Nomius*, h. e. pastor, de quo ad 24 N. superius; quem hisce verbis alloquitur *Ovidius*, 2 Metam. 680 vers.

> *Illud erat tempus, quo te pastoria* pellis
> *Texit*; *onus dextræ* baculus *sylvestris olivæ*;
> *Alterius, dispar septennis fistula cannis.*

Nempe cum in terris exulans, cælo expulsus à *Jove*, propter interfectos *Cyclopas*, *Vulcani* ministros, *Admeti*, regis *Pheræorum*, in *Thessalia*, armenta pasceret; ejusque boves in fœminas, gemellos parientes converteret. *Euripides*, in *Alcest*. præfat. *Apollodorus*, 3 lib. Biblioth. 199 pag. *Hyginus*, 49 cap. *Pius*, &c. licet *Apollinem Admeto*, ipsius amore captum, serviisse tradant *Callimachus*, eumque sequens *Tibullus*, 2 lib. 3 eleg. & 3 lib. 4 eleg. & *Ovidius*, Heroid. 5 epist. 151 vers.

> *Ipse repertor opis vaccas pavisse* Pheræas
> *Fertur, & à nostro saucius igne fuit.*

denique *Seneca*, *Hippolyt*. 296 vers.

> Thessali Phœbus *pecoris magister*
> *Egit armentum, positoque plectro*
> *Impari tauros* calamo *vocavit.*

Lau-

Lauream ſibi imponit, ut victor de Satyro *Marſya*, quem tibiæ cantu victum ſuſpendit, & cute nudavit. *Apulejus*, 1 lib. Floridor. elegantiſſimè, 341 pag. præter *Ovidium*, 6 Metam. 387 verſ. & 6 Faſtor. 707 verſ. *Diodorum*, 3 lib. 59 cap. & *Xenophontem*, Expedit. 1 lib. locum certaminis in *Phrygia*, ad *Mæandri* fontes, edocet *Strabo*, 12 lib. 397 pag. de quo ſic etiam *Claudianus*, in *Eutrop.* 2 lib. 256 verſ.

> *Hic &* Apollinea *victus teſtudine paſtor*
> *Suſpenſa memores illuſtrat pelle* Celænas.

Excoriationem verò ipſam *Neronis* exhibet artificioſum ſigillum, apud *Abr. Gorlæum*, Dactyl. 111 gemm. & *Choulium*, Relig. Ant. 196 pag.

LXXIII.

Victoria dea, gradiens, palmam lævâ geſtans, coronamque elata dextra q. oſtentans.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Theſſalonicenſium*: intra coronam.

Reſpicit hic nummus non quidem raptas manubias, & hoſtium capta caſtra; ſed ſolennes ludos ac ſacra certamina *Theſſalonicæ* celebrata. Inde enim & *Romæ*, in Circo ſimulacrum *Victoriæ* pompæ præferebatur. Docet *Ovidius*, 3 Amor. eleg. 2.

> *Sed jam pompa venit: linguis animiſque favete:*
> *Tempus adeſt plauſus; aurea pompa venit.*
> *Primo loco fertur ſparſis* Victoria *pennis.*

Videas & de *Victoria Circenſi Martialis* ſuprà 18 pag. citatum carmen, nobiliſſimi aurigatoris epitaphium.

Quare

Quare etiam ejus ſimulacrum in theatri ſcenis poſitum. *Dio*, 37 lib. ubi de prodigioſo, cuncta proſternente, vento. conſulatur *Onuphr. Panvinius*, de Lud. *Circenſibus*, 1. lib. 17. cap.

Corona quoque hæc ludorum ſolenne præmium. Eæ enim in certaminibus, etiam ſcientiarum & artium, diverſi planè generis.

1. *Cyzici* enim illæ è violis paratæ tragœdis; ibidemque ex oleâ comædis.
2. *Pergami* ex hederâ concinnatæ citharœdis: è roſis verò in omni genere victoribus.
3. *Nicomediæ* connexæ frondibus querneis, intermixta glande.
4. *Sardibus*, denique conſutæ è chryſantho flore; quamobrem quoque & ipſa certamina dicta chryſanthina, &c. Videatur inſcript. *Gruterian.* 1090 pag. apud *Harduinum* ad *Caracallæ Sardianum* N. 438 pag.

LXXIV.

Jovis coronati caput.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗ. *Theſſalonica*: Leo decurrens.

De *Jovis* oleaginea corona ſæpè ſuperius; coronatum verò hîc numen illud apparet ob ſacra in ejus honorem celebrata certamina.

An autem leo (vide ſuprà 28 pag.) regem *Lyſimachum* ſpectet, aſſerere non auſim; certè *Demetrium Macedoniâ* expulit, conciliatiſque ſibi procerum animis, eam totam occupavit. *Juſtinus*, 16 lib. 3 cap.

TABULA DECIMA TERTIA.

LXXV.

Palladis Victoriæ caput.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕ . . . *Thessalonicensium* : Equus effrænis, liberè decurrens : inter ejus pedes posito fulmine.

De hac *Pallade* superius, 24 pag.

Equus *Macedoniam* notat, equos præstantissimos plurimis in locis nutrientem, ac *Thessaliæ*, laude equestri multum pollenti, minimè cedentem. *Pellæos* enim equos (*Pellam*, *Macedonum* urbem, inferius exhibebimus) in *Cynegetico* commendat *Gratianus*.

Fulmen *Jovis* cultum peculiarem innuit.

LXXVI.

Jupiter iterum, *caput tonsæ foliis ornatus olivæ*.

. . . . ΣΑΛΟΝΙΚΗ. *Thessalonica*: Capræ duæ petulanter subsilientes.

De *Jove* quid adderemus post toties repetita?

Capræ regionis pinguissimam tellurem, pecorisque prosperum incrementum significant. Audiamus ruricolam *Virgilium*, 2 Georg. 524 vers.

Ubera vaccæ
Lactea demittunt, pinguesque in gramine læto
Inter se adversis *luctantur* cornibus *hædi*.

Et *Lucretium*, 2 lib. 320 vers.

Et satiata agni ludunt, *blandeque* coniscant.

h. e. arietant, juxta *Quintilianum*, Inst. 8 lib. 3 cap. è *Cic* in *Pisonem*.

LXXVII.

LXXVII.

Dianæ, ſive *Deliæ Nemoralis* mitratum caput.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Theſſalonicenſium*: Pharetra, arcus, & ſagitta.

Dianæ Agroteræ, i.e. *Venatricis*, ſive *Elaphicæ*, h. e. *Cervos conficientis*, meminimus ad 35 N. Quam præſertim coluêre *Macedones*. *Polybius*, Excerpt. 1463 pag. venationibus eoſque dediti, ut apud illos in cœna nullus accumberet, niſi qui aprum extrà retia trucidaſſet. Ideo *Caſſander*, triginta quinque annos jam natus, cum patre cœnavit in ſedili, quod (licet validus & peritus venator) eo certamine nondum defungi potuiſſet. *Athenæus*, 1 lib. 14 cap

De pharetra & arcu ipſius, *Claudianus* ad *Honorium*, 4 conſ. 160 verſ.

Tibi ſæpè Diana
Mænalios arcus, *venatricesque* pharetras
Suſpendit.

Videas & *Virgilium*, 1 Æn. 500 verſ. *Horatium*, 4 lib. 6 od. *Silium*, 15 B. Pun. 686 pag. *Prudentium*, in *Roman.* 282 verſ. aliosque paſſim.

Hinc & *Dianæ Dictynnæ*, h. e. *Retiariæ*, cognomentum tribuêre priſci, quod retibus delectetur: quippe rete δίκτυον. Quanquam aliis *Dictynnæ* nomen habeat, à comite *Britomarti*, i. e. *dulci virgine*; quæ *Minois*, *Cretæ* regis, vim fugiens, & de monte ſeſe præcipitans, in piſcatorum retia incidit. *Callimachus*, hymn. in *Dianam*, 190 verſ *Strabo*,

O 2 10 lib.

10 lib. 330 pag. *Diodorus*, 5 lib. 77 cap. *Pausanias*, *Corinth.* 271 pag. *Anton. Liberalis*, Metam. 40 c. *Virgilius*, denique in *Ceiri*, 44 pag.

LXXVIII.

ΘΕΟΣ. *Deus: Julii Cæsaris* laureatum caput.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Thessalonicensium: Octavii* nudum caput.

Cajus Julius, *Luc. Cæsaris* (de cujus morte subitanea *Plinius*, 7 lib. 53 cap.) filius, à conjuratorum manu, *Cassio* & *Bruto* principibus, fœdum in modum, anno 56 ætatis suæ, interemptus, *in Deorum numerum relatus est*, *non ore modo decernentium*, *sed & persuasione vulgi. Siquidem ludis*, *quos primò consecratos ei hæres* Augustus *edebat*, *stella per 7 dies continuos fulsit*; *creditumque animam esse* Cæsaris, *in cælum recepti.* Sic *Suetonius*, 88 cap. *Dio*, 45 lib. 274 pag. aliique noti. Hinc *Ovidius*, ita *Jovem* filiam *Venerem* alloquentem introducit: 15 Metam. 818 verf.

Ut Deus *accedat cælo*, *templisque colatur*
Tu facies, *natusque tuus* (Octavius) *qui nominis hæres*
Impositum feret unus onus, *cæsique parentis*
Nos in bella suos fortissimus ultor habebit.

dixerat 746 vers.

Cæsar *in urbe sua* Deus *est.*

Unde *Val. Maximus*, 1 lib. 8 cap. 8 exemp. hoc modo parricidam *Cassium* affatur: *Non occideras tu quidem* Cassi Cæsarem; *neque enim extingui ulla* divinitas *potest*; *sed*, *mortali*

tali adhuc corpore utentem violando, meruisti ut tam infestum haberes Deum.

Notemus obiter hîc, ut aliàs in omnibus genuinis nummis, imperatorem hunc macilentum & exsanguem, quem ore paullum pleniore facit, 45 cap. *Suetonius.* Scilicet hæc facies ei procul dubio à curis & vigiliis, ex insigni ejus ambitione resultantibus: observantibus *Patino*, ad cap. hoc *Suetonii*, & *Begero*, 73 pag. ad *Cæsaris* imaginem in gemma. Et tamen ipse, ita emaciatus, *Bruti Cassii*que pallidam gracilitatem ferre non valuit; quemadmodum docet *Plutarchus*, in *Jul.* 116 pag.

Denique hic noster *Julius calvitii deformitatem iniquissimè ferens, ex omnibus decretis sibi à* Senatu Populo*que honoribus, non aliud aut recepit aut usurpavit libentius quam jus* laureæ *perpetuò gestandæ. Suetonius*, citato modò cap. En cur quoque in hoc egregio nummo laureâ caput *Cæsaris* sit redimitum! Cæterum non hîc diadema laureæ adiunctum, velut in Impp. sequentium capitibus. Hoc enim, coronâ lauri circumvolutum, ei à *M. Antonio*, Lupercalibus, in ipsis Rostris, oblatum, bis repulerat *Cæsar*, consequente universi populi applausu. *Cicero*, 2 *Philipp.* in *Antonium*, 34 cap. *Plutarchus*, in *Cæs.* 114 pag. & *Anton.* 412 pag.

Octavium, *Caji Octavii* (de cujus obitu *Suetonius*, 4 cap.) filium, 18 annos natum, ex *Octaviâ* familiâ in *Juliam* translatum, & ex testamento hæredem, *Cæsari* optimè conjunxêre *Thessalonicenses*, ut ei ad gratulandum proximi: fuit enim in *Macedonia*, nempe *Apolloniæ*, quo tempore avunculus *Romæ* fuit interemptus. *Paterc.* 2 lib. 59 cap. Dio,

45 lib. 272. pag. Sed festinemus ad alia, illustrantes nostras observationes magis requirentia.

LXXIX.

ΘΕΟΣ. *Deus*: *Julii* lauro cinctum caput: sigillo aliquo circa aures profundè satis impresso.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Thessalonicensium*: *Octavii* nudum caput.

Pergamus.

LXXX.

ΘΕΟΣ. *Deus*. *Julii* lauro ornatum caput: signo à priori diverso circa aures apposito.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Thessalonicensium*: *Octavii* nudatum caput.

Transeamus ad sequentem.

LXXXI.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Augustus*: *Octavii Augusti* caput, horrido capillitio deforme.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Thessalonicensium*: Equus liberè gradiens.

Augusti circa capillos negligentiam, in hoc nummo conspiciendam, *Suetonius*, 79 cap. hisce verbis describit: *Omnis lenocinii negligens, & in capite* comendo *tam* incuriosus, *ut raptim compluribus simul tonsoribus operam daret, ac modò tonderet, modo raderet barbam, eoque ipso tempore aut legeret aliquid, aut etiam scriberet.*

Equus *Macedoniam* laude equestri plurimum pollere demonstrat; quemadmodum ad 75 N. suprà diximus.

TA-

TABULA DECIMA QUARTA.

LXXXI.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Augustus:* Imperatoris *Augusti* laureatum caput.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Thessalonicensium*; intrà coronam è floribus contextam.

De *Augusto* quædam ad 78 N. seriem verò actorum ejus publicorum privatorumque lector colligat è *Dione*, *Suetonio*, *Paterculo*, aliisque optimæ fidei historicis; nec non *Virgilio*, *Horatio*, *Ovidio*, cæterisque adulantibus versificatoribus. Hosce enim ipse studiose conquisivit & fovit, divinitatem sibi arrogans; quasi *Apollo*, serpentis specie, furtim cum matre *Atia* concubuisset. *Suetonius*, 70 & 94 cap. Unde & ejus argenteus extat denarius, in cujus aversâ parte *Apollo*, citharam pulsans, scopulo insidet; adscriptumque hinc inde: CÆSAR DIVI F. ut ambiguum sit *Divine Iulii*, an potius *Apollinis*, qui medius est inter verba, se filium dicat. Et hæc ex observatione *Læv. Torrentii* ad hoc *Suetonii* cap. quibus adde illa *Sidonii*, 2 carm. *Anthem.* 121 vers.

> *Magnus* Alexander, *nec non* Augustus *habentur*
> *Concepti* serpente *deo:* Phœbum*que* Jovem*que*
> *Divisêre sibi. Namque horum quæsiit unus*
> Cinyphia *sub* Syrte *patrem*; *maculis genitricis*
> *Alter* Phœbigenam *sese gaudebat haberi*,
> Pœonii *jactans* Epidauria *signa draconis.*

Videas

Videas de *Alexandro* ſuperius, 14 pag.

Corona hæc ſolennes ludos, ſacraque certamina, in ædis alicujus dedicatione adhibita ſignificat. Videantur quæ de varii generis coronis ad 73 N.

LXXXIII.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Theſſalonicenſium*: Imperatoris *Auguſti* laurea decorum caput.

ΓΑΙΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΥΟΣ. *Cajus Auguſti* filius: *Caji Cæſaris* nudatum caput.

De *Auguſto* dictum.

Cajus hic, *M. Vipſan. Agrippæ* & *Iuliæ* eſt filius; ab *Auguſto*, una cum fratre *Lucio*, *domi adoptatus*, & *per æs & libram à patre emptus*. *Suetonius*, 64 cap. cui in *Parthos* abeunti & *Ovidius* adulatur, 1 Art. 191. verſ. inter alia ſic *Cajum* alloquens;

> *Auſpiciis, annisque* Patris *puer arma movebis*;
> *Et vinces annis auſpiciisque* Patris.
> *Tale rudimentum, tanto ſub nomine, debes*,
> *Nunc* juvenum princeps, *deinde future* ſenum.

Conſulem enim hunc, ut & fratrem, deſignaverat Imperator, teſtibus *Suetonio*, loc. cit. *Tacito* 1 Ann. 3. cap. & & argenteo nummo, apud *Hemelarium* ad 2. Tab. Impp. *Rom.* in quo *Cajus* & *Lucius*, togati, tenent clypeos, & haſtas puras, additis quoque ſignis pontificalibus & auguralibus; adſcriptumque: C. L. CÆSARES AUGUSTI F. COS. DESIG. PRINC. JUVENT.

Verum juvenes illi mortui priuſquam ferè *Respublica* eo-

eorum experimentum cepisset; *Liviæ*que novercæ dolus *Lucium* euntem in *Hispaniam*, *Massiliæ*; *Cajum* remeantem *Armeniâ*, *Limyræ* celerrimè sustulit. *Tacitus*, 1 Annal. 3 cap. at de hisce sigillatim videas *F. Henr. Noris*, Cœnotaph. *Pisan.* 2 dissert. 15 cap.

LXXXIV.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ. *Thessalonicensium* libertatis: *Cleopatræ*, *M. Antonii* Triumviri uxoris, seu pellicis potius mitratum caput.

Γ. ΚΑΙ. ΑΥΤ. Μ. ΑΝΤ. ΑΥ. *Caji* Cæsaris Imperatoris, & *M. Antonii* Imperatoris: *Victoria* gradiens, tenens corollam & palmæ ramum.

Libertatem sibi relictam vel concessam variæ *Græciæ Asiæque* civitates (ex gr. *Amisus*, *Tarsus*, *Rhodus*, aliæque) in suis nummis celebrant, & innato libertatis amore, benefactorum vultus & nomina hoc modo conservant. Videas *Tristanum*, *Patinum*. &c. ut 9 Differtat. 783 pag. nobilem *Spanhemium*.

Hic autem noster nummus docet *M. Antonium Thessalonicæ* libertatem concessisse; quemadmodum *Tarso* ac *Laodiceæ* hoc privilegium tribuit ille, secundum *Appianum*, B. Civil. 5 lib. 675 cap.

Cernimus hîc *Cleopatram*, *Ægypti* celebratissimam reginam, *Ptolemæi Dionysi* filiam, quæ, victa ad *Actium*, cum *Antonio* marito in *Ægyptum* fugit, ibidemque, eo morte voluntariâ extincto, aspidem brachiis admovendo, sibi quoque violentas manus intulit. *Plutarchus*, in

Anton. 463 pag. *Dio*, 51 lib. 452 pag. *Florus*, 4 lib. 11 cap. atque ita *Horatius*, 1 lib. 37 carm. ut ſolet, ſublimis:

Auſa & jacentem viſere regiam
Vultu ſereno fortis, & aſperas
Tractare ſerpenteis, ut atrum
Corpore combiberet venenum;
Deliberata morte ferocior;
Sævis liburnis ſcilicet invidens
Privata deduci ſuperbo
Non humilis Mulier *triumpho.*

denique *Propertius*, 3 lib. 10 eleg. hiſce eam alloquens:

Fugiſti tamen in timidi vaga flumina Nili:
Accepêre tuæ Romula *vincla manus.*
Brachia ſpectavi ſacris admorſa colubris,
Et trahere occultum membra ſoporis iter.

Quanquam non de aſpide, ſed de veneno aliquo ad uſum occultato ſcribant *Plutarchus*, 463 pag. *Dio*, loci cit. & Author libri de *Theriacâ*, *ad Piſon.*

De Victoria quædam ſcripſimus ad 18 N. Fuit autem illa culta à priſcis alatæ virginis habitu: ut ſignificarent inſtabilem eſſe armorum ſortem, & incertam belli aleam. Itaque optimè eam depingit *Prudentius*, adverſus *Symm.* 2 lib. 33 verſ.

Nunquam pennigeram *legio ferrata* puellam
Vidit, anhelantûm regeret quæ tela virorum.

Vin-

Vincendi quæris dominam? sua dextera cuique est
Et Deus Omnipotens, *non pexo crine* virago,
Nec nudo *suspensa* pede, *strophioque revincta*,
Nec tumidas fluitante sinu *vestita papillas.*

Sed quid hîc victoria? an quoque ludos & certamina sacra, sive *Pythia*, sive *Cabiria*, significat?

LXXXV.

ΤΙ. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Tiberius* Cæsar Augustus: *Tiberii* laureatum caput.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. ΣΕΒ. *Thessalonicensium*. Augusta: *Liviæ* caput.

Tiberius, *Tiberii Claudii Neronis* & *Liviæ* filius, adoptatus est ab *Augusto*, postquam mater in imperatoris hujus thalamos indecorè transiisset. *Suetonius*, 15 cap. Cujus gesta, multa probanda, plura vituperanda, & plurima detestanda recensent *Dio*, *Paterculus*, *Suetonius* citatus, aliique *Romanarum* rerum scriptores, & eos optimè excerpens *Martinus Schokius.*

Liviam Drusillam, *Druso Livio* (*Paterc.* 2 lib. 71 cap.) prognatam, quoque in hoc numismate miramur, cum *Ovidio*, 2 *Pont.* 8 eleg.

Est ibi Cæsaribus Livia *juncta suis.*

Quæ, gravis in remp. mater, gravis domui *Cæsarum* noverca (*Tacitus*, 1 Ann. 10 cap.) ut *Tiberio* ad imperii *Romani* regimen semitam aperiret, occultissimis artibus *Marcellum* juvenem (*Dio* 54 lib.) *Cajum* & *Lucium* (*Tacitus*,

citus, loc cit.) *Agrippam* (*Dio* 57 lib.) quinimò ipſum *Auguſtum*, quem ſenem velut puerum regebat (*Victor.* 5 cap.) quocunque modo perimere non erubuit.

Dicitur autem & *Julia*, *Juliorum* nempe genti, conjugis *Auguſti* teſtamento,inſerta. *Dio*, 56 lib. 597 p. *Tacitus*, 1 Ann. 8 cap. *Suetonius* 101 cap. Quod de ea (videàs & hoc nomen in mox citando nummo) en quam bene vaticinatur *Ovidius*, 1 *Faſtor.* 536 verſ.

Sic Auguſta *novum* Julia *numen erit.*

obiit, 15 anno poſt *Auguſti* deceſſum, 86 annum agens ætatis; & ab imper. *Claudio* demum inter deos relata. *Dio*, 60 lib. *Sueton.* 11 cap. & quidem conſecrata *Junonis* habitu: docente nummo *Græco* apud *Patinum* ad *Sueton. Aug.* 65 cap. & *Prudentio*; qui ſic, 1 lib. *Symm.* 251 verſ.

Adjecère ſacrum, *fieret quo* Livia Juno.

Memorabilis interim ille nummus apud *Patinum*, ad *Suet.* 63 cap. in cujus adverſâ area Divi *Auguſti*, in averſa verò *Liviæ*, creſcentem lunam in vertice gerentis, caput exhibetur, inſiſtens globo; addita ſuperbifica inſcriptione: JULIA AUGUSTA, GENITRIX ORBIS.

LXXXVI.

Γ. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Cajus* Cæſar Auguſtus; *Druſi* caput laureatum.

ΑΝΤΟΝΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ ΘΕΣ. *Antonia* Auguſta. *Theſſaloni-*

nicensium: Antoniæ, *Drusi* conjugis, laureatum & velatum caput.

Nero Claudius Drusus, *Tiber. Claudii Neronis* & *Liviæ Drusillæ* filius, imp. *Tiberii* frater; *Germanicus* quoque est dictus, postquam, *Rhætis* domitis, *Bructeros*, *Frisios*, *Usipetes*, *Tencteros*, *Sicambros*, *Cheruscos*, *Cattos*, aliosque *Germaniæ* populos subegisset. Extinctus è fractura, equo super crus ejus collapso. *Livii* 140 Epit. vel veneno. *Suetonius*, *Claud.* 1 cap. Monumentum ipsius, (ut constans & communis Eruditorum est opinio) extat *Moguntiæ*, glandis formâ, & idcircò *de Eichelstein* incolis dictum; quod à *Joh. Huttichio*, in Collect. Antiquitatum urbis & agri *Mogunt.* describitur, & à poëtâ *Amantio*, Inscript. Antiq. tot. Orbis. 474 pag. non ineleganter depingitur. Sed *Drusi* laudes canentem legas *Horatium*, 4 lib. 4 od. mortemque ejus, *Romano* imperio luctuosam, deplorantem *Albinovanum*.

Antonia minor, *M. Antonii* Triumviri filia, *Drusi* conjux, & *Germanici* Cæsaris, *Claudii*que Imperatoris, laudatissima est mater; quæ post mariti mortem secundas nuptias aspernata, *sacerdos Divi Augusti* est facta. *Dio*, 59 lib. 638 p. *Suetonius*, 15 cap. & *Claudii* Nummus apud *Patinum*, 81 pag. in quo velata sacerdos stans, dextra sympulum gerit; addita epigraphe: ANTONIA AUGUSTA.

Hoc enim sacerdotium viduis, sive virginibus, fuisse proprium testatur *Tertullianus*, 1 lib. ad uxorem, 7 c. Unde de *Livia* (quæ quoque *sacerdos Augusti*. *Dio*, 56 lib. 597 pag.) sic *Ovidius*, 4 Pont. 9 eleg. 107 vers.

Stant pariter Natusque pius, Conjuxque ſacerdos,
Numina jam facto non leviora Deo.

Tandem verò à nepote *Caligula* veneno eſt interempta: qui & defunctæ nullum honorem habuit; ſed è triclinio ardentem rogum proſpexit. *Suetonius*, 23 cap. licet anteà quicquid unquam *Livia* Auguſta honorum cepiſſet, ei uno Senatusconſulto congeſſiſſet. Idem, 15 cap.

LXXXVII.

ΝΕΡΟ ΚΑΙΣΑΡ. *Nero* Cæſar: Caput juvenile *Neronis* laureatum.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Theſſalonicenſium: Victoria* ſtans, tenens coronam lemniſcatam dextrà, læva palmam.

Nero Domitii Ahenobarbi & *Agrippinæ* filius; at adhuc incruentus, nulliſque parricidiis infamis; ſcenas tantum tragicas erigens, & aurigatoribus circenſibus ſeſe immiſcens. Ita enim de eo *Suetonius*, 7 cap. *Tener adhuc, nec dum matura pueritia*, Circenſibus *ludis*, Trojam *conſtantiſſimè favorabiliterque luſit.* A quibus tamen exercitiis eum nunquam abſtinuiſſe docet idem 11, 12, 20, 21, 22, 23, 24, 25, &c. cap. & *Dio*, 61, & 63 lib. 690 & 719 pag. Unde ejus plenam laudem videas apud *Hieronym. Cardanum.*

Interim coronas ſacras, victoriarum monumenta, in cubili circum lectos ponebat. *Suetonius*, 25 cap. Inter quæ fortè & hæc, à *Theſſalonicenſibus*, dum in *Græciæ* certaminibus ſacris ſeſe oblectaret, accepta.

TA-

TABULA DECIMA QUINTA.

LXXXVIII.

ΑΥ. Κ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ. Imperator Cæſar *Antoninus* ; *Elagabali* laureatum caput.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Theſſalonicenſium* : *Victoria*, dextra *Victoriæ* ſigillum geſtans, læva palmam retinens, & ſerpentem pede calcans.

Elagabalus, *Caracallæ* Imp. & *Soëmiadis Phœniſſæ* filius, poſt *Macrinum* regno potitus, nefariè vivens, nefario quoque mortis genere, vix ætatis 18 agens annum, à militibus, *Romæ* trucidatus eſt. *Dio*, 79 lib. *Herodianus*, 5 lib. 8 cap. *Lampridius*, 17 cap. *Victor*, 39 cap. *Oroſius*, 7 lib. 18 cap. Nomen accepit, apud *Emiſæos* ſacerdotio fungens *Solis*; qui illic loci *Alagol-baal*, h. e. *Seldeno* docente, *rotundus deus* vel *dominus*, vocitatur: licet *Antonini* cognomen, gentibus adeò carum, & generis ſui quoque argumentum, teſtibus omnibus Nummis, priori prætulerit. *Lampridius*, 1 cap.

De *Victoria* jam diximus in præmiſſis; ſub pede tamen ipſius ſerpens conſpicitur, quem ſicco pede præterire rei pulchritudo non permittet.

Serpens ergo *Jovi*, *Neptuno*, *Junoni*, *Palladi*, *Soli*, *Plutoni*, *Cereri Proſerpinæ*que, *Apollini*, *Baccho*, *Mercurio*, *Iſidi* ac *Serapidi*, *Hecatæ*, *Æſculapio* & *Hygiææ* conſecratus, *Felicitatem*, *Vigilantiam*, *Concordiam*, *Prudentiam*, *Salutem*, *Potentiam*, & *Victoriam* in Græcis Latinisque numiſmatibus

bus denotat. *Triſtanus*, è *Virgilio*, *Plutarcho*, *Pauſania*, *Arriano*, *Val. Maximo*, &c. adverſus *Gevartium*, de *Claud.* & *Veſp.* Nummis. Addend. 1 Tom. 5 pag.

Verum enimverò & per ſerpentem deſignatur occultus hoſtis & inſidiator; quin & implacabile odium, & exitiale bellum. *Gevartius*, ex *Livio*, *Silio*, *Artemidoro*, *Cardano*, &c. in Comment. Pomp. Introïtus *Ferdinandi Auſtr.* in urb. *Antverpiam.* 125 pag.

An verò ſic hæc noſtra *Victoria Macrini* fugam, ejusque copiarum ſtragem (videas *Herodianum*, lib. cit. 4 cap.) ſignificet, non aſſerimus.

LXXXIX.

ΑΥ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ. Imperator Cæſar *Marcus Aurelius Antoninus*: *Caracallæ* loricati radiatum caput.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ *Theſſalonicenſium*: *Victoria* progrediens, *Victoriæ* ſigillum dextra geſtans, & ſiniſtra palmæ ramum retinens.

Caracalla, *Severi Lepitani*, & *Juliæ Emiſenæ* filius; poſteà, *Oppiano*, *Herodiano*, & *Dione* teſtibus, matris quoque maritus, patris ſucceſſor, fratris *Getæ* obtruncator, *Edeſſà Carrhas* iter faciens, in via, dum ventrem purgat, eſt interemptus. *Dio*, 78 lib. *Herodianus*, 4 lib. 13 cap.

Nomen amabile *Antonini*, patris juſſu, ei jam Cæſari Senatus dedit. *Spartianus*, 16 cap. Unde & in nummo, apud *Sponium*, Recherch. Cur. de Antiq 24 Diſſ. 392 pag. ipſius conſecrationem præferente, legitur: DIVO ANTONINO MAGNO.

Victo-

Victoria hæc vel bella ad *Danubii* ripas, adversus *Germanos* prosperè gesta, vel ludos, ab eo *Thessalonicæ* frequentatos, respicit.

X C.

ΑΥ. Κ. Μ. ΑΥ. . . . . ΝΟΣ. Imperator Cæsar *Marcus Aurelius Antoninus: Caracallæ* caput radiatum.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Thessalonicensium*, sacrarum rerum curatorum: *Cabirus* tunicatus stans in templo dystilo, inter incudem & palmam cistæ impositam; dextra tenens ignem & sinistra malleum.

De *Cabiris*, *Vulcani* filiis, superius ad 69. de palma ad 14 & de cista vel urna, ut & de Neocori titulo, ad 14 N.

X C I.

Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. *Marcus Aurelius Alexander* Cæsar: *Alexandri Severi* caput inornatum & nudum.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Thessalonicensium: Victoria* procedens, *Victoriæ* sigillum gestans dextrâ, & palmæ ramum læva.

Alexander Severus, *Caracallæ* (videas *Herodianum*, 5 lib. 7 cap.) & *Juliæ Mameæ Phœnissæ* filius, *Alexianus* anteà dictus, anno ætatis 12 ab *Elagabalo* adoptatus, propter humanitatem, & moderationem insignem senatui, populo, ac exercitui gratissimus; in *Germania*, apud *Moguntiacum*, a militibus, matris avaritia lacessitis, est interemptus; postquam 14 annis imperium incruentum gessisset. *Herodianus*, 6 lib. 9 cap. *Lampridius*, 59 cap. *Orosius*, 7 lib. 18 cap.

Victoriam verò tam ſæpè in obviis Imperatorum numiſmatibus conſpici quid miraris, lector; cum de ipſa, alloquens *Auguſtum*, ita ſcribat *Ovidius*, 2 Triſt. 197 verſ.

> *Sic aſſueta tuis ſemper* Victoria *caſtris*
> *Nunc quoque ſe præſtet, notaque ſigna petat.*
> Auſonium*que Ducem ſolitis circumvolet* alis,
> *Ponat & in nitida* laurea ſerta *coma.*

Unde & *Victoriæ* ſimulacra per tranſennam ad coronandos triumphantes inducebant. *Præterea* Metello *ſedenti* (narrat *Saluſtius*, Hiſt. 2 lib. Fragm.) *tranſenna demiſſum* Victoriæ *ſimulacrum cum machinato ſtrepitu tonitruum, coronam capiti imponebat.* Videatur & *Dio*, 59 lib. 658 pag. in *Caligula.*

Quinimò & ſoliis throniſque imperatoriis illa impoſita: de hiſce enim hoc modò *Corippus*, 3 lib. laud. *Juſtini* imp. 6 c.

> *Par lævam dextramque tenens* Victoria *partem*
> *Altius* erectis *pendebat in aëre* pennis,
> *Laurigeram geſtans* dextra *fulgente* coronam.

XCII.

ΑΥ. Κ. Μ ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟΣ. Imperator Cæſar *Marcus Antonius Gordianus : Gordiani* tertii laureatum caput.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Theſſalonicenſium : Cabirus*, dextra tenens ignes & læva malleum, ſtans inter incudem & palmam urnæ impoſitam.

Antonius non *Antoninus* (*Ravardo* monente, Varior. 3 lib.

3 lib. 10 cap.) *Gordianus*, ut plerique opinantur, *Gordiani* ſecundi filius, puer admodum bella in *Perſas*, auſpiciis *Miſithei*, ſoceri ſui, proſperè movens, tandem, poſt hujus exceſſum, *Philippi Arabis* inſidiis, annum agens ætatis 22, interfectus eſt. *Capitolinus*, 30 cap. *Victor*, 27 cap. *Eutropius*, 9 lib. 2. *Oroſius*, 7 lib. 19 cap.

De *Caliris* abundè dictum.

X C I I I.

ΑΥΤ. . . . . ΓΟΡΔΙΑΝΟΣ. Imperator . . . . *Gordianus*: *Gordiani* tertii laureatum & radiatum caput.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΕΙΚΕΩΝ. ΝΕΩ . . . . *Theſſalonicenſium* ſacrarum rerum curatorum: *Cabirus* dextra geſtans ignes & læva malleum, appoſita incude vel incenſa forſan arà.

De *Cabiris* ſuprà.

Tabula Decima Sexta.

X C I V.

. . . . ΑΝΤΟΝΙΟΣ ΓΟΡΔΙΑΝΟΣ. . . . *Antonius Gordianus*: *Gordiani* radiatum caput, poſito poſt cervicem fulmine.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΠΥΘΙΑ. *Theſſalonicenſium*, ſacrarum rerum curatorum. *Pythii* ludi: *Cabirus* ſtans inter palmam & urnam palmiferam, dextra tenens *Victoriæ* ſigillum (& minimè caput, prout expreſſit ſculptor) & læva malleum.

Fulmen fortè peractum bellum *Perſicum* deſignat; probavimus enim ſuprà 10 & 87 pag fulmen eſſe belli ſymbolum. Et idcircò legionis aquila non tantum fulmen

ungue tenebat *Dio*, 43 lib. 231 pag. ſed & ſcuta clypeique militum fulminibus depictis erant exornata. Unde ſic *Val. Flaccus*, 6 *Argon.* 53 verſ.

> *Cuncta phalanx inſigne* Jovis, *cælataque geſtat*
> *Tegmina, diſperſos trifidis ardoribus ignes.*
> *Nec primus* radios, *miles* Romane, *coruſci*
> Fulminis, *& rutilas ſcutis diffuderis* alas.

De *Cabiro* diximus, & dicemus ad *Theſſalonicæ* poſtremum numiſma: ita & in ſuperioribus de palma & urna.

Pythia certamina, (novennalia, mox quinquennalia) ab *Apolline*, ob cædem *Pythonis*, ſive nocentiſſimi ſerpentis, ſive ſceleratiſſimi hominis (*Strabo*, 9 lib. 291 pag.) inſtituta; in *Pythone*, vico *Delphorum* ad *Parnaſſum*, primùm celebrata. De hiſce pulcherrimè *Ovidius*, 1 Metam. 445 verſ.

> *Neve operis famam poſſit delere vetuſtas,*
> *Inſtituit ſacros celebri certamine* ludos,
> Pythia *perdomitæ ſerpentis nomine dictos.*
> *Hic juvenum quicunque manu, pedibusve, rotave,*
> *Vicerat, eſculeæ capiebat frondis honorem.*
> *Nondum laurus erat.*

Sed de lauro, victorum in *Pythiis* prœmio, conſulantur *Plinius*, 15 lib. 30 cap. *Auſonius*, Eclogar. 565 pag. quemadmodum & de pomo, ſive malo, (palmæ fructu) altero præmio, *Lucianus*, Dial. de Gymnaſ. 272 pag. apud *Paſcalium*, de Coron. 6 lib. 25. cap.

Diſca-

Discamus autem & ex hoc nummo, ludos illos *Apollinares* non solum ad *Parnassum*, verum etiam in cæteris *Græcorum* locis (sic *Thessalonicæ* una cum *Cabiriis*) fuisse exhibitos.

X C V.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠΠΟΣ. Imp. Cæs. *Marcus Julius Philippus*: *Philippi* senioris caput radiatum.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΝΕΟΚ. ΠΥΘΙΑ. *Thessalonicensium*, sacrarum rerum curatorum. *Pythii* ludi: Urnæ tres palmiferæ mensæ impositæ; inter cujus fulcra quoque vas aliquod.

Marcus Julius Philippus Arabs, Thraconites, ignobili genere, virtute tamen militari clarus, *Gordiano* cæso, imperium arripuit. Sed adversus *Decium* profectus, *Veronæ* tumultu militari trucidatus est. *Orosius*, 7 lib. 20 cap. *Victor*, 43 cap. Hoc autem, una cum filio imperante, *millesimus annus* Romæ *urbis ingenti ludorum apparatu spectaculorumque celebratus est*. *Eutropius*, 9 lib. 3 cap.

Mensæ hæc ei non dissimilis est, cujus mentionem facit *Car. Dalechampius* ad *Plinii* 35 lib. 12 cap. Pasiteles *plastes* Colotæ *fuit magister*, *qui*, *secundum* Pausaniam, *in* Arcad. mensam *fecit*, *in qua* coronæ *illorum*, *qui* Olympiis *vicissent*, deponebantur.

At urnæ palmæque triplices certamen equestre, gymnicum & musicum respiciunt; quales quoque observamus, in *Caracallæ Heliopolitano* N. apud *Vaillant*, Colon. 52 pag. *Gallieni Nicomediensi* N. apud *Patinum*, 412 pag. & *Trajani Nicæensi* N. apud *Morellium*, 14 Tab.

Vas illud, inter mensæ pedes positum, quale etiam observare licet superius in 14 N. in *Galli Tyrio* N. apud *Vaillant*, 313 pag. & in *Aureliani Heliopolitano*, apud eundem, 331 pag. victorum quoque est prœmium. *Plutarchus*, Problem. 3 quæst. & hisce *Statius 6. Thebaid.* 530 vers.

Cessit victoria Vati.
Huic pretium palmæ: *gemini* cratera *ferebant*
Herculeum *juvenes*; *illum* Tyrinthius *olim*
Ferre manu sola, spumantemque ore supino
Vertere seu monstri victor, seu marte, solebat.

Videas quoque simile vas, inter luctantes gymnicos, apud *Patinum*, 160 pag.

XCVI.

. . TIB. . . . . . *Vibii* . . . . *Galli* caput radiatum.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Thessalonicensium*: *Cabirus*, tenens altera malleum, & altera manu incudem, inter aram incensam, & palmam vasi aliquo impositam.

Cajus Vibius Trebonianus Gallus, patritiâ familiâ ortus, proditione imperium arripuit; imperatorum primus cum *Scythis* fœdus percussit, & tributum pendit. At inde illi insolentiores facti, tributoque non contenti, in finitimas regiones iterum impressionem fecêre: qui tamen, opera *Æmyliani*, feliciter in suas solitudines repulsi. Sic ille ab exercitu, in *Mœsiâ*, est imperator appellatus; *Gallus*que, ad eum opprimendum tendens, à suis est desertus, & apud

apud *Interamnem* in *Italia*, cum *Volusiano* filio, cæsus. *Victor*, 45 cap. *Eutropius*, 9 lib. 5 cap. *Orosius*, 7 lib. 21 cap.

De *Thessalonica* jam scripsimus ad 69 N. Observandum tamen obiter *Ciceronem*, per factionem *Clodianam Româ Italiaque* pulsum 7 menses hac in urbe exulasse. *Cicero*, ad *Attic.* 3 lib. 8 & seq. epist. & Famil. 14 lib. 2 epist. ad uxorem. *Eustathiumque*, *Homeri* & *Dionysii* nobilem illustratorem *Thessalonicensem* fuisse. *J. Buno* ad *Cluveri* geogr. 318 pag.

De *Cabiris* quoque en observatorum nostrorum reliqua! Colebantur illi, quemadmodum ad 69 N. notavimus, non tantum in *Lemno* & *Samothracia*; verum & insulâ *Imbro*. *Stephanus*, in *Imb*. *Eustathius* in *Dionys.* nec non *Anthedone*, *Bœotiæ* urbe littorali. *Nonnius*, è *Tzetze*, ad *Goltz*. *Græc*. Tab. 100 pag. Sacra autem eorum *nocturna*. *Cicero*, 1 lib. de Nat. Deor. 42 cap. Et hisce initiabantur pueri à certo tempore. *Donatus*, ad *Terent*. *Phorm*. 1 act. 1 sc. Qui initiati contrà maris tempestates aliaque pericula tuti censentur. Interpres *Apollon*. 1 lib. Scoliastes *Aristoph*. ad Pac. *Diodorus*, 5 lib. 9 cap. Unde & iis religionibus mysticè fuit imbutus *Tarquinius*, *Rom*. tertius rex. *Macrobius*, 3 lib. 4 cap. & *Philippus Olympiasque*, *Alexandri* Magni parentes. *Plutarchus*, in *Alex*. 7 pag. Denique initiati purpurea fascia ventrem circumligabant, & oleæ germine caput coronabant. Scoliast. citatus *Apollon*. *Proclus* in *Platonem*, de Rep.

Et hæc excerpta nostra de *Cabirorum* confusa & intricata historia ad hunc nummorum *Thessalonicensium* eximium & pretiosum acervum; quem superius nominati

THEO-

THEODORI *van* HAGHE laudabilis liberalitas *Selectorum Numismatum* cumulo nostro adjecit.

XCVII. EDESSA, *Syriæ*.

ΚΑΙ. . . . *Cæs*. . . . *Augusti* lauro cinctum caput.
ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ. *Edessenorum*: Corona laurea.

De *Augusto* loquuti sumus ad 78, 81, & 82 N.

Edessa, quondam *Rages*, quam incoluit *Gabaël*, *Tobiæ* debitor. *Tobiæ* 4 cap. 1 vers. postmodum *Antiochia*. *Plinius*, 5 lib. 24 cap. & *Bambyce* imò & *Hierapolis*, h. e. sacra urbs. *Strabo*, 16 lib. 515 pag. tandemque (ab imp. *Justino* restauratis mœnibus) *Justinopolis* appellata; *Gotofredi Bilionæi* servans sepulcrum; antiquissima est urbs *Syriæ*, sive potius *Mesopotamiæ*, ipsius portionis; sita inter montem *Masium* & *Euphratem* fluvium, ad flumen *Scirtum*, sese in *Chaboram* exonerans; & *Samosatis* proxima: colens *Lunum* deum, cujus meminimus 34 pag. & *Adargatim* deam. *Strabo*, citat. lib. nomenque possidens ab ea quæ in *Macedonia*, (propter aquarum impetum sic vocata) ad amnem *Erigonium*: de quâ *Strabo*, 7 lib. 223 pag. & *Livius*, 45 lib. 29 cap. & nos ad 47 N. hodiè *Rhoa*, *Rhoasse*, ut & *Orpha* dicta. Cujus reguli erant *Abgari*, h. e. *Arabum* lingua, *Magni*; nempe qui vixêre temporibus *Crassi*. *Sex. Rufus*, breviar. 640 pag. ipsius CHRISTI, Salvatoris nostri. *Hieronymus*, ad *Math.* 10 cap. *Eusebius*, chron. & imp. *Claudii*. *Tacitus*, 12 Ann. 12 & seqq cap. *Trajani* quoque. *Dio*, 68 lib. 782 pag. nec non *Severi*. *Spartianus*, 18 cap. *Victor*, 268 pag. &c. quorum vultus spectantur in *Marci*, *Severi*,

Severi, &. *Gordiani* N. apud *Patinum*, 240, 284, & 378 pag. Verum videas & alios authores apud *Spanhemium*, lib. pluries cit. 86 & 421 pag. Eam expugnatam & direptam per legatos incendit imp. *Trajanus*. *Dio*, 68 lib. 788 pag. Crebra urbis mentio apud *Ammianum*; ex. gr. 18 lib. 6 cap. 20 lib. 11 pag. &c. Videatur *J. Buno* ad *Cluverum*, geogr. 5 lib. 23 cap. 453 pag.

Hæc (quod quoque, 44 pag. de *Antiochia* diximus) in numismatibus occurrit vel capite tenus; & sacro velo cooperta: ex. gr. in *Caracallæ*, apud *Patinum*, impp. 304 pag.

Vel integra, rupibus insidens, & emersum fluvium pede calcans: ex. gr. in *Caracallæ*, & *Alexandri Severi* apud *Vaillant*, Mun. & Colon. 48 & 171 pag.

Corona hæc ex illis quas *Græciæ* populi viris illustribus imperatoribusque, ob res præclarè gestas, frequenter admodum mittebant: qualium meminêre *Nepos*, *Alcibiad.* 6 cap. *Diodorus*, 13 lib. de *Dionysio* major. milites *Italos* sine lytro dimittente. *Curtius*, 4 lib. 5 cap.

Itaque in hisce Tabulis, sicut & apud *Patinum*, &c. populorum offerentium nomina in mediis coronis passim leguntur.

XCVIII.

Τ. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Tiberius* Cæsar Augustus: *Tiberii* laureatum caput.

ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΗ. *Edessenorum* Augusta: *Liviæ* facies.

De *Tiberio* scripsimus ad 85 N. sicut & de *Livia* quam venerabilem (*Hon.* & *Mar.* nupt. 12 vers.) appellavit *Claudianus*.

Qua ratione autem eos coluerit *Edessa*, cogimur ignorare cum *Patino:* videas ejus Impp. 59 pag.

XCIX.

ΑΥ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ. Imp. Cæs. *Marc. Aurel. Antoninus*: *Caracallæ* laureatum caput.

ΕΔΕΣ. . . . ΩΝ *Edessenorum*: *Roma*, dextra victoriæ sigillum gestans, thoraci insidens, laurea coronatur ab urbis genio; specie hastatæ mulieris: apposita quoque capra.

De *Caracalla* observata dedimus ad 89 N.

Eum verò multæ urbes *Syriæ* (ex. gr. *Carrhæ*, *Damascus*, *Gadara*, &c.) numismatibus sunt veneratæ, ob matrem *Juliam*, natione *Syram*: præsertim tamen *Edessa*; quandoquidem circa hanc eum periisse narrent *Eutropius*, 20 cap. & *Rufus*, Breviar. 640 pag. Quam &, ab eo restauratam, coloniæ *Marciæ Aureliæ* superbificum titulum accepisse testantur Nummi.

De *Roma* sæpius scriptum, ut 89 pag. &c. & de capra, *Macedonicam Edessam* spectante, ad 47 N.

TABULA DECIMA SEPTIMA.

C. EPHESUS, *Joniæ*.

. . . . . ΜΑΝΙΚΟΝ ΕΠΙ ΙΟΥΛΙΟΥ. . . . . . manicum. *sub* Julio . . . . *Caligulæ* laureatum caput.

ΔΡΟΥΣΙΛΛ. . . . . ΜΗΝΟΦΑΝΗΣ. *Drusill*. . . . . . *Menophanes*: *Drusilla* sedens, hastata, spicas & papaver dextra retinens.

Cajus Cæsar, *Germanici* & *Agrippinæ*, optimorum parentum pessimus filius, & *Agrippinæ*, *Juliæ*, atque *Drusillæ* ne-

nefarius frater; quas omnes ſtupro maculavit, moxque duas in inſulam quandam expoſuit, tertiâ infortunium morte prævertente. *Dio*, 59 lib. 639 pag. *Victor*, 36 cap. *Eutropius*, 12 cap. Ea erat *Druſilla*, cunctarum ſibi chariſſima, quam defunctam, *Veneris* habitu, & cognomine *Panthea*, conſecravit. *Dio*, 59 lib. 645 pag.

Druſilla ergò ipſius ſoror, ab eo conſecrata, *DIVA* quoque in ejus N. apud *Patin.* ad *Suet.* vocata. Viderat enim eam in cœlum euntem *Luc. Geminius*, ſenator. *Dio*, loc. cit. & *Seneca*, Apocoloc. 1 cap. 618.

Haſtam tenet, ut divinitatis ſymbolum: quippe ea ſceptri vice, Deorum ſimulacris plerumque addebatur. *Juſtinus*, 43 lib. 3 cap. Unde & ſola haſta cernitur innixa ſellæ, in *Fauſtinæ* majoris N. apud *Arſchotanum*, 44 Tab.

Spicas geſtat & papavera, ut *Cereris*, (quam *Manilius*, Aſtr. 2 lib. 43 pag appellat *ſpiciferam*) ſpecie conſecrata: quæ eadem retinens ſpectatur in *Claudii* N. apud *Angelonum* 49 pag. Namque *Ceres* nihil aliud eſt quam frumentum. *Martian. Capella* teſte. dicta & *alma*, quod (Terra etenim & priſcis eſt) beneficio frugum, cuncta alat. *Ovidius*, 4 Faſt. 547 verſ. quinimò & *nigra*; nigrâ quoque veſte idcircò induta. *Pauſanias*, *Arcadic.* 316 pag. ita & *Iſis Ægyptiorum* nigra (ejus enim nomine etiam Terram deſignabant) cujus velum maxima ex parte nigrum; quod à ſacerdotibus, *Melanophoris*, portatum, docet *Steph.* le *Moyne*, epiſt. ad GISB. CUPERUM, de *Melanophoris*, 261 pag.

Papaveris, & quidem ſativi & eſculenti mentionem facit

Plinius, 19 lib. 8 cap. quod *Cereri* plerumque offerebatur, ut monet *Phurnutus*, 28 cap

Menophanis prætoris nomen cum & nobis in *Ephesiorum* N. apud *Harduinum*, in Addend. 571 pag. occurrat; hoc numisma quoque àb *Ephesiis*, in honorem *Caligulæ*, fuisse percussum non immeritò opinamur.

CI. BERHOEA, *Syriæ*.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Nero* Cæsar Augustus: *Neronis* laureatum caput; adrepente suprà dextrum humerum serpente.

ΒΕΡΟΙ . . . . *Berhœensium:* Aquila, alis explicatis, insistens fulmini; apposito lauri ramo.

De *Nerone* scripsimus ad 87 N. serpens verò respicit hæc *Suetonii*, 6 cap. *Usque eo floruit, ut emanaret in vulgus missos à* Messalina, *uxore* Claudii, *qui meridiantem eum, quasi* Britannici *æmulum, strangularent. Additum fabulæ est eosdem* dracone *è pulvino se proferente conterritos refugisse. Quæ fabula exorta est deprehensis in lecto ejus circum cervicalia* serpentis *exuviis. Quas tamen aureæ armillæ, ex voluntate matris*, dextro brachio *gestavit aliquandiu, &c.* similia commemorant *Tacitus*, 11 Ann. 11 cap. *Dio*, 61 lib. 688 pag.

De hoc ergò serpente gloriatus ita est *Nero*, ut eundem quasi majestatis indicem portentumque, sibi in ornamentum duxerit, nummisque insculpi curaverit. Videatur *Patinus*, ad cit. cap. *Suetonii*.

Berhœa, sive *Beroë*, *Æmathiæ* urbs in *Macedonia*, *H. Veria* dicta, ad *Aliacmonem* fluv. & *Bermii* mont. radices est posita. Meminêre *Strabo*, 7 lib. excerp. *Lucianus*, in

in Asino, 101 pag. *Constantin. Porphyrogeneta*, Them. 2 lib. Ubi seditionem contra *Paulum*, gentium doctorem, excitavêre *Judæi*. Acta Apostol. 17 cap. 12 vers.

Ab hac *Macedonica* nomen accepit *Syriaca* (cui cum *Harduino*, contrà *Patinum*, hoc numisma adscribimus) *Seleuci Nicatoris*; opus in regione *Cyrrhestica*, ad amn. *Marsyam* sita, & H. *Aleppo* nuncupata. *Stephanus*, in *Ber. Ptolemæus*, &c. Quanquam aliis *Beroë* sit *Phœnissa Berytus*, inter *Sidonem* & *Byblum*, maritima; *Felix Julia* olim, & H. *Baruto* vocitata. Verum de *Aleppo*, quoque hodiè sub *Turcis Syriæ* nobilissimo emporio, diversæ prorsus inveniuntur sententiæ illorum qui eam veterum vel *Apameam*, i. e. *Pellam*, vel *Hierapolin* seu *Bambycem*, vel *Chalibonem*, vel *Berhœam* hanc fuisse opinentur. Videatur *J. Buno* ad *Cluver*. geogr. 5 lib. 22 cap. *Godofredus*, ad geograph. *Dionys. Pinedo* ad *Stephan*.

De Aquila in superioribus ad 1, 18, 84, &c. N. plura diximus; in hoc tamen, ut in *Romanis* plerisque, imperii *Romani* symbolum est. Unde templi à se constructi majorem portam eà (& quidem aureâ) exornabat *Herodes Magnus*. *Josephus*, 17 Antiq. *Jud.* lib. 8. cap. & 1 bell. Jud. 21 cap. Hinc & aquila *Romanis* imperatoribus omen felix faustumque fuit; ut, ex. gr. *Augusto*. *Dio*, 45 lib. 271 pag. *Claudio*. *Suetonius*, 7 cap. *Galbæ*. Idem, 4 cap. *Vitellio*. Idem, 9 cap. *Vespasiano*. Idem, 5 cap. *Domitiano*. Idem, 6 cap. aliisque & seculorum sequentium, *Marciano*, &c. Videatur *Andr. Tiraquellus* ad *Alex* ab *Alexandr*. Genial. Dier. 5 lib. 13 cap.

Lauri ſymbolum quoque explicavimus ad 47 N. Saltem, ut & hæc addamus, in ſe quid divini continere credita eſt; & *Apollini*, h. e. *Soli* ſacrata, quod in ea ſemina ignis lateant, eaque ratione *Solem* obumbret. Hederæ enim adfricata laurus, perinde atque ſilici chalybs, ignem emittit. B*onavent*. *Vulcanius*, ad *Callimachi* hymn. *Apoll.* 188 pag.

CII.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ. *Nero* Cæſar: *Neronis*, adoleſcentis adhuc, inornatum caput.

Equus *Circenſis* gradiens; palmæ ramo, *Soli*ſque aſtro appoſitis.

De *Nerone*, ad inſaniam uſque, equorum ſtudio flagrante jam ſcripſimus ad 87 N. *Eo enim* (verba ſunt *Suetonii*, 22 cap) *ab ineunte ætate flagravit*, *plurimuſque illi ſermo*, *quanquam vetaretur*, *de* Circenſibus *erat*, *& quondam tractum Praſinum agitatorem inter condiſcipulos querens*, *objurgante magiſtro*, *de* Hectore *ſe loqui ementitus eſt*. Unde & idem equos olim victores, & ſenio jam confectos, annuis ſtipendiis honeſtavit. *Dio*, 61 cap. 690 pag. Quinimò etiam quinquennale certamen, ab ipſo inſtitutum (cujus meminit eximius ille nummus apud *Torrentium* & *Patinum*) ex parte quoque fuit equeſtre. *Suetonius*, 12 cap.

De palma relegas ea quæ ad 14 N. ſunt annotata.

Solis aſtrum ipſum *Neronem* deſignat, aurigando *Solem* ſi non ſuperare ſaltem æquiparare tentans: ideoque, ut omnium certaminum victor, à populo Cæſar *Apollo*, ſ. *Nero Apollo* eſt appellatus; acclamatione prorſus ridicula.

Dio,

Dio, 61 lib. 698 pag. & 63 lib. 723. pag. Hinc & in *Neronis Corinthiaco* num. apud *Vaillant*, Colon 173 pag. *Sol*, ſcuticam quatiens, quadrigæ inſiſtit

Poſſet quoque hoc aſtrum ipſum *Circum*, ludosque *Circenſes* reſpicere; quandoquidem *Circus* non tantum *Soli* ſacer dicatur *Corippo*, qui ſic, laud. *Juſtini* 1 lib. 17 cap.

> Solis *honore novi grati ſpectacula* Circi
> *Antiqui ſanxere patres, qui quatuor eſſe*
> Solis *equos quadam rerum ratione putabant,*
> *Tempora continui ſignantes quatuor anni:*
> *In quorum ſpecie, ſignis, numerisque, modisque*
> *Aurigas totidem, totidem poſuêre colores,*
> *Et fecêre duas ſtadia in contraria partes,*
> *Ut ſint æſtivis brumalia frigora flammis.*

ſed & quadriga eidem conſecrata habeatur *Fulgentio*, Mythol. 1 lib. 11 cap. & *Tertulliano*, lib. de Spectac. 9 cap. Videas *Onuphrium*, de lud. *Circenſ.* 6 cap.

Verum ubi ſignatus hic noſter nummus? an in *Achajæ* aliqua urbe? *Neroni* in *Olympiis Iſthmiiſve* certaminibus victori? fortè *Corinthi*? ſed quidni *Patris*? pergamus potius, cum temporis injuria epigraphen ſummoverit.

CIII. CADI, *Lydiæ*.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΓΕΡΜ. *Domitianus* Cæſar Auguſtus Germanicus: *Domitiani* laurea cinctum caput.

ΚΑΔΟΗΝΩΝ (non cum Patino ΚΑΑΟΗΝΩΝ) *Cadoë-*

no-

norum: Rex *Midas* ſtans, diadema capite, & ſceptrum dextra gerens.

Titus Flavius Domitianus, *Titi Veſpaſiani* eſt junior frater; *Neroni*, *Caligulæ*, aut *Tiberio* ſimilior quam patri vel fratri; poſt expeditionem, ſibi perniciosiſſimam, in *Germanias*, *Germanici* cognomen utens; mox inexecrabili ſuperbia *Dominum* ac *Deum*, nec non *Minervæ* (quam religione ſumma coluit) filium ſeſe appellare jubens; tandem, *Stephani* dolis (*Domitia* conjuge quoque inſidias maturante) *Romæ*, in cubiculo interemptus. *Dio*, 67 lib. *Suetonius*, 17 cap. *Victor*, 23 cap. *Eutropius*, 8 lib. 24 cap. *Oroſius*. 7 lib. 10 cap.

Cadi urbs *Myſiæ*, vel potius *Mæoniæ* ſive *Lydiæ*, in ipſis *Phrygiæ Epicteti*, h. e. Adjectæ, finibus, propè *Dorylæum*. *Strabo*, 12 lib. 396 pag. *Ptolemæus*, 5 lib. 2 cap.

Midas hic famigeratiſſimus eſt *Phrygum* rex, (qui *Phrygiam* religionibus implevit; teſte *Juſtino*, 11 lib. 7 cap.) *Gordii* bubulci filius (à quo & *Midæum*, *Phrygiæ* opp. nomen accepit) cui auriculas aſini poëtarum tribuêre carmina, quòd ſubauſcultoribus & delatoribus, per omnem regionem dimiſſis, aurium vice, uteretur. *Georg. Sabinus* ad *Ovidii* 11 Metam. 180 verſ.

Spectare etiam hunc regem licet apud accuratum *Sponium*, Miſcell. Erud. Antiq 130 pag. in numiſmate, caput hinc exhibente barbatum, unco pileo tectum, humeris amiculo tectis; juxta: ΜΙΔΑΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ; *Midas* rex: & illinc *Monetam*, ſive *Juſtitiam* ſtantem, cum bilan-

lance (quam tamen vocat *Isidem* Pantheam, frugum repertricem, justitiæ, & religionum promotricem *Claud. Nicasius*, lib. de numm. *Hadriani* Pantheo; 68 pag.) circa quam legimus: . . . . ΙΗΣΣΕΩΝΣ ærugine erosis litterarum notis reliquis.

CIV. BERHOEA, *Syriæ.*

. . . . . ΑΝΟΣ ΑΡΙΣΤ. ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. ΔΑΚΙΚ.

. . . . *anus*, Optimus August. *German. Dacicus*: *Trajani* laureatum caput.

ΒΕΡΟΙΑΙΩΝ. *Berhœensium*: Corona laurea.

Marcus Ulpius Trajanus, genere *Hispanus*, à sene *Nerva* adoptatus; ab oppressis *Germanis Germanici*, à triumphatis *Dacis Dacici*, à devictis *Parthis Parthici*, denique à moribus optimis *Optimi* cognomen meruit. *Dio*, 68 lib. 784 pag. Præterea & *Armeniam*, *Mesopotamiam*, *Assyriam*, *Arabiam*, vicit, subegit, domuit. Idem 787, 788, 789 pag. vastum pontem *Danubio* flumini imposuit. Idem 779 pag. E *Perside* denique rediens æger, delatus *Selinuntem* (*Ciliciæ* urbem, quæ mox *Trajanopolis* appellata) profluvio ventris est extinctus. Idem, 790 pag. ab *Hadriano* mox inter divos relatus, cineribus *Romæ* in aurea urna sub ejus columna collocatis. Idem, 792 pag. *Victor*, 27 cap. *Eutropius*, 8 lib. 5 cap.

De *Berhœa* modò ad 101 N.

Ita & de coronis, victoribus datis sive missis, ad 73 & 97 N.

C V. Incerta.

. . ΠΩΠΠ. . . . ΣΕΒΑΣΤΗ. *Poppæa* Augusta: *Poppææ* facies.

Sabina Poppæa Quæstorio patre, *Tito Ollio* est nata, *Ru-*

fo Crispo desponsata, mox à *Nerone* abducta, & *Othoni* amico (usquedum aulâ expelleretur honestissima ipsius uxor *Octavia*) in custodiam data. *Suetonius*, in *Othon.* 3 cap. Superba & sumptuosa fæmina, mulas (quas habebat selectissimas) auro calceans, unguentis (vulgò *Poppæanis*) pretiosissimis suos artus emolliens, & asinino lacte perpetim abluens. *Plinius*, 33 lib. 11 cap 28 lib. 12 cap. & *Dio*, 62 lib. 713 pag. Postmodum tamen hanc *Nero*, *calcis ictu occidit*; *quod se ex aurigatione serò reversum gravida & ægra conviciis incesserat*. *Suetonius*, 35 cap. *Tacitus*, 16 Annal. 6 cap. *Dio*, 62 lib. 713 pag. Verum mortuæ divinos honores decerni mandavit, *Venerem* eam vocans, templumque ipsi donariis magnificis ornatum dedicans. *Dio*, 36 lib. in Excerp. *Valesian. Tacitus*, 16 Annal. 21 cap. Corpus interim *non igni abolitum*, *ut Romanis mos*, *sed*, *Regum externorum consuetudine, differtum odoribus conditum*, Juliorumque *sepulcro illatum*. *Tacitus*, 16 Annal 7 cap.

Equus hic forsitan alicujus à *Nerone* peramati, victoriis exornati, & stipendiis annuis honorati elegans est effigies; vel saltem insani ipsius circa aurigationes studii nobile monumentum: nisi quis generosissimum è *Poppæanis* mulis in hoc numismate exhiberi non ineptè opinetur.

TABULA DECIMA OCTAVA.

CVI. GALATIA.

ΑΥΤ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕ. Imp. *Nerva Trajanus* Cæsar Aug. *Trajani* laureâ decoratum caput.

KOI-

ΚΟΙΝΟΝ ΓΑΛΑΤΙΑΣ. ΕΠΙ ΒΑΣΣΟΥ. Commune *Galatarum*, ſub *Baſſo*. Genius urbis ſedens, turritæ mulieris ſpecie, læva ſceptrum, dextra ſpicas tenens; ſub ſella poſitis duabus palmis.

De *Trajano* ad 104 N.

Galatia, ſive *Gallogræcia*, minoris *Aſiæ* regio; H. *Pera.* nomen accepit à *Gallis*; qui, patria relicta, *Aſiam* omnem velut examine aliquo implevêre; à *Nicomede Bithyniæ* rege, agrorum præmio, ad belli ſocietatem acciti. *Juſtinus*, 25 lib. 2 cap. *Strabo*, 12 lib. 390 pag. *Livius*, 38 lib. 17 cap. *Plinius*, 5 lib. 32 cap. &c. Ea autem terminata ab oriente *Haly* fluvio & *Cappadocia*; ab occidente *Sangari* flumine & *Bithynia*; à meridie *Phrygia* & *Pamphilia*; & à ſeptentrione *Euxino* mari.

Communitates in *Græcia* & *Aſia* plurimas paſſim obſervamus; ſcilicet ubi diverſæ civitates concilia, (quibus adde monetam) ſacra, templa & numina habuêre communia. Vocabanturque illæ in *Græcia Panbæotia*, *Panhellenia*, *Panathenæa*, & *Panachæa*: & in *Aſia* Κοινὰ *Syriæ*, *Cypri*, *Bithyniæ*, *Galatiæ*, &c. Quinimò *Panionium* locus erat in promontorio *Mycales* montis, ubi, præter concilium, *Neptuno Heliconio* ſacra communia peragebantur. *Strabo*, 14 lib. 440 pag. *Dalechampius* ad *Plin.* 5 lib. 30 cap.

De turritis urbium geniis ad 69 N. ſcriptum.

De palmis itidem ſæpè ſuperius.

Pomponii Baſſi nomen quoque habet egregium hoc numiſma (videas & *Harduinum*, 179 pag.) qui, ſub *Trajano*, ſacerdos & præſes ludorum theatralium certaminumque

que communium, deo vel Augusto alicui sacrorum (in uno aliquo quidem oppido, verum communi sumptu provinciæ totius editorum: *Galatarches* meritò nominari debet.

Sed quando signatus hic nummis à *Galatis*? post *Galatiæ* civitates tres ingenti terræmotu subversas, & ab optimo principe fortassè reparatas. Videas *Orosium*, 7 lib. 12. *Eusebium*. Chron ad A. Ch. 112.

CVII. MACEDONIA.

. . . . ΚΑΙΣΑΡ. . . . . Cæsar . . . . *Antonini* Pii laureati caput.

ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. Commune *Macedonum*: Fulmen alatum.

Tit. Aurel. Fulv. Antoninus, genere *Transalpinus*, post *L. Ælii* mortem ab *Hadriano* adoptatus, Pii nomine à *Senatu* decoratus; clemens, sobrius, prudens, sanctus, &, quem nulla ferè vitiorum labes maculavit, imperator; defendere provincias magis quam dilatare imperium studens; *Faustinæ* mitis maritus; *Marco Aurelio* & *Lucio Vero* adoptatis, post tranquillam vitam, placida, somnoque simili morte decessit senex; meritò consecratus, & inter divos relatus: ejusque amabile nomen sequentibus imperatoribus factum hæreditarium. *Dio*, 70 lib. 805 pag. *Capitolinus*, 13 cap. *Victor*, 30 cap. *Eutropius*, 8 lib. 8 cap. *Orosius*, 7 lib. 14 cap.

De *Macedonia* scripsimus ad 57 N.

De Communione ad 12, & modo ad 106 N.

De symbolo fulminis sæpius, ad 8, 58, 94, aliisque N. N.

CVIII.

CVIII. ANTIOCHIA, *Syriæ.*

. . . . ΑΔΡΙΑΝΟΣ. . . . . *Hadrianus* . . . . *Antonini* Pii lauro cinctum caput.

. . . . ΕΩΝ *Antiochienſium* : Turritum genii urbis caput. De Pio modò.

De *Antiochia* ad 32 N. Ibiqne citatis authoribus addantur *Joh. Chryſoſtomi* Encom. *Antiochiæ*. *Dio Pruſ*. 47 lib. & *Eunapius* in *Liban*. Eâm autem, ſub *Trajano*, terræmotibus collapſam reparavit, coloniamque fecit *Antoninus*. *Spanhemius*, è *Paulo*, 8 lib. D. de Cenſ. adverſus *Scaligerum*, 8 Diſſertat. 755 pag.

CIX. TARSUS, *Ciliciæ.*

ΑΥ. ΚΑΙ. Μ. Α. . . . ΑΝΤΟΝΕΙΝΟΣ. Imp. Cæſ. *Marcus Antoninus* : *Marci Aurelii* nudum caput.

. . . ΙΠΠΙΟΥ ΑΡΧΟΝΤΟΣ. . . . *Hippio* præſide . . . . *Bacchus* ſtans, ſiniſtra tenens haſtam, & dextra cantharum effundens in caput alludentis pantheræ.

Marc. Aurelius Antoninus, unà cum *Lucio Vero*, à *Pio* adoptatus, hujus quoque fuit gener, ducens *Fauſtinam*; cujus indecoram laſciviam perpetuò diſſimulavit. Debellavit *Armenos*, *Parthos*, *Germanos*, *Marcomannos*, aliosque *Germaniæ* feroces populos. Toto tamen principatus ſui tempore in plurimos morbos incidens, opera *Galeni Pergameni*, medici ſuo tempore famigeratiſſimi, eſt uſus. Tandem omnium hominum, qui unquam principatum tenuerunt, optimus, à medicis, qui *Commodo* gratificabantur, interemptus, &, omnibus certatim adnitentibus,

inter divos relatus est. *Capitolinus*, 28 cap. *Dio*, 71 lib. 810 pag. *Victor*, 32 cap. *Eutropius*, 8 lib. 13 & 14 cap. *Orosius*, 7 lib. 15 cap

Tarsus, *Ciliciæ* caput; mater urbium *Solino*, 51 cap. oppidorum nobilissimum fortissimumque *Hirtio*, B. *Alexandrin.* 698 pag. Urbis conditor est *Perseus*, *Jovis Danaës*que filius. *Ammianus*, 14 lib. 7 cap unde *Perseam* vocat *Lucanus*, 3 *Pharsal.* 225 vers. Ille autem civitati nomen dedit ex facto; quia ibi una ex talaribus pinnis ei excidit. Scoliastes ad hunc *Juvenalis*, 3 sat. 117 versum:

Ripa nutritus in illa,
Ad quam Gorgonei *delapsa est penna caballi.*

Ubi tamen Satyricus (& non solus) nomen à delapsi *Pegasi* læso tarso, h e. calcaneo, sive talo, derivat: quamvis & fuère, qui à sessoris ipsius, *Bellerophontis*, lapsu nomenclationem depromunt. Videantur *Stephanus*, A*vienus*, & *Dionysius* apud *Spanhemium*, 6 Differt. 236 pag.

Nonnullis quoque A*rgivorum*, *Jo* quærentium, & cum *Triptolemo* errantium, nobilis est colonia. S*trabo*, 14 lib. 643 pag. Eam conservavit A*lexander*, per angustissimos aditus intrans *Ciliciam*, cum ei ignem subjecerant *Persæ*. *Curtius*, 3 lib. 4 cap. Hæc autem in duas divisa partes à *Cydno* fluvio; sec. *Plinium*, 5 lib. 27 cap. & P*riscianum*, in interpr. *Dionysii.*

Flexilis & Cydnus, *dirimit qui flumine* Tarsum.

Præcipitatur ille (à candore, gentili S*yrorum* linguâ, nomen nactus) è monte *Tauro*. *Arrianus*, 2 lib. 10 cap. rapidissimus,

mus, cum nives liquantur. *Solinus*, 51 cap. aliàs leniter fluens. De eo enim ſic *Tibullus*, 1 lib. 7 eleg.

At te Cydne *canam, tacitis qui leniter undis*
Cæruleus placidis per vada ſerpis aquis.

Hæc autem *Pauli* apoſtoli patria; prout ipſe fatetur, Actor. 22 cap. 3. verſ. ſita in planicie irrigua & fertili, quam mons arduus & undique munitus à mari ad mare amplectitur. *Xenophon*, Expedit. 1 lib. 248 pag. *Juliopolis* quoque cognominata; bello Civili, *Julio Cæſari*, mox & *Auguſto* ſtudens. *Dio*, 47 lib 344 pag. *Chryſoſtomus*, in *Tarſic.* mox, ab Impp. eam reſtaurantibus & exornantibus, *Hadriana*, *Severiana*, *Antoniniana*, *Macriniana*, & *Alexandrina.* Nummi apud citatum *Spanhemium*, 201 pag. & *Harduinum*, 485 pag. in cujus ſuburbio, vel pomœrio, quod ad *Tauri* montis anguſtiàs ducit, imp. *Juliani* ſepulchrum poſitum. *Ammianus*, 25 lib. 14 cap.

Obſervamus in nummis eam turritam, velatam, ſubſellio, à *Sphynge* fulto, inſidentem, ſpicaſque protendentem, fluviumque *Cydnum* pede prementem, apud *Morellium*, in *Antonini* Pii N. 11 Tab. 76 pag.

De *Baccho* nonnulla notavimus ad 34, & 46 N. Præſertim verò apparet hîc vultu ferè virginali, cultuque muliebri; quamobrem *Dionyſum* ἀνδρόγυνον appellatum ait *Theodoretus*, Hiſt. Eccleſ. 3 lib. 7 cap. Videas *Ovidium*, 3 Metam. 607 verſ. *Priapejorum* 36 carm.

Cantharum potorium dextra pendentem gerens, ſec. *Arnobium*, 6 lib. 209 pag. quo tamen ejus ſiniſtram onerat

rat *Albricus*, de Deor. Imagin. 19 cap. Hic autem ei ſacer, docente *Plinio* (33 lib. 11 cap.) qui *Marium* conſulem, *Liberi* patris exemplo, cantharis potaſſe narrat.

Thyrſum, i. e. haſtam pampinis cinctam tenens, qualem geſtat *Hypſipyle*, *Baccho* ſacra faciens, apud *Valer. Flaccum*, 2 *Argon.* 268 verſ.

Hederiſque ligat famularibus artus,
Pampineam*que quatit ventoſis ictibus haſtam.*

E cantharo vinum effundens in ſubjectam (videas *Herodotum*, lib de Automat. fabricatoribus) tigridem, ſive pantheram; quæ ebria *Martiali*, 14 lib. 107 epigr. & vinoſa *Oppiano*, Cyneg. 4 lib. 319 verſ. Unde *Statius* de hiſce ſic, 7 Theb. 574 verſ.

Manus obvia paſcit.
Expectantque cibos, fuſoque horrenda ſupinant
Ora *mero.*

Pantheræ enim *Baccho* ſacratæ; ejuſque ſymbolum. *Philoſtratus*, Imagin. 1 lib in quas converſas hujus nutrices vulgò fabulantur poëtæ; monente *Spanhemio*, 164 pag.

Bacchus autem (ut & miniſter ejus *Marſyas*) à *Græciæ Aſiæque* urbibus imponitur nummis; non quidem ut optimorum vinorum fertilitatem: verum ut libertatem vel diutiſſime conſervatam, vel noviſſimè partam ſignificet: *Bacchus* enim, ſive *Liber*, libertatis aſſertor & vindex, erectâ in foro ſtatua, colebatur à civitatibus liberis: *Macrobius*, ſaturn. 3 lib. 12 cap. *Servius*, ad 4 *Æneid.* 58 verſ.

58 verſ. quibus adde *Demſterum* ad *Roſin.* 1 lib 13 cap. in Region. oct. de *Marſya*, & 2 lib. 11. cap de *Libero* patre.

Tarſo certè libertatis ac immunitatis privilegium conceſſit *Marc. Antonius. Appianus*, B. Civil. 5 lib. 675 cap. quod beneficium poſteà clementer adſeruit *Auguſtus. Dio Chryſoſtomus*, 34 orat. Hinc & *Libertatis* ſigno notatur *Caracallæ Tarſenſis* nummus apud *Patinum*, 310 pag. Adde quod *Ciliciæ* partis (in qua *Tarſus*) incolæ jam pridem eo gauderent privilegio; *Eleuthero-Cilices* dicti. *Cicero*, ad *Attic.* 5 lib. 20 epiſt. *Diodorus*, 3 lib. 55 cap. *Stephanus*, in Eleuth. *Cilicia.*

CX. CÆSAREA, *Cappadociæ.*

ΑΥ. Μ. ΑΥΡ. ΚΟΜΟ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ. Σ. Imp. *Marc. Aurel. Commodus Antoninus* Aug. *Commodi* adoleſcentis laureatum caput.

ΥΠΑΤΟΣ. ΠΑΤ. ΠΑΤΡΙ. Conſul, Pater patriæ: *Argæus* mons, vertici imminente ſtella.

Marcus, ſive *Lucius*, *Aurel. Commodus*, *Marci Antonini* & *Fauſtinæ* minoris filius; ex adulterio fortaſsè natus; nihil enim paternum habuit (ab aulicis fædè corruptus) niſi quod contra *Germanos* & ipſe feliciter pugnavit: cæterum luxuria & obſcœnitate depravatus; obiit morte ſubita (à conjuratis ſuffocatus) tanta omnium execratione, ut humani generis hoſtis etiam mortuus judicaretur. *Eutropius*, 8 lib 15 cap. *Victor*, 33 cap. *Lampridius*, 17 cap. *Oroſius*, 7 lib. 16 cap. *Herodianus*, 1 lib 17 cap.

Argæus Cappadociæ eſt mons, quam ab una parte cingit, arduus, & alta nive perpetuò candidus; unde

T nomen

nomen datum; ἀργὸς enim *Græcis* albus. *Solinus*, 57 cap. Extensus autem ille usque ad *Melam* fluvium, & *Galatiæ* confinia. Olim pascuis equorum nobilis; omnium pulcherrimo teste *Claudiano*: qui sic de laud. *Serenæ*, 190 vers.

Delectus equorum,
Quos Phrygiæ *matres*, Argæaque *gramina pastæ*
Semine Cappadocum *sacris præsepibus edunt*;
Primus bonos.

vel in *Rufin*. 2 lib. 30 vers.

Jam pascua fumant
Cappadocum, *volucrumque parens* Argæus. *equorum*.

ille quoque ut asper & saxosus, ita & nemorosus & frondosus, circumjecta regione, campestri licet, arenosa, petrosa, & sylvis carente. *Strabo*, 12 lib 370 pag. quod & in hoc nummo luculenter intuemur; licet alii, *Strabonis* citati verbis innitentes, montem flammis undique immersum, quasi alterum *Vesuvium*, alteramque *Ætnam*, conspiciant. Videas *Patinum*, 242 pag.

Vario autem ritu adoratus vocatur à *P. Gassendo*, in vit. *Peirescii*, 57 pag. quandoquidem montes pro diis habuêre *Daci* & *Cappadoces*. *Solinus*, 57 cap. *Strabo* & *Maxim. Tyrius* apud *Ger. Vossium*, Institut. Orator. 1 lib. 5 cap. 39 sect. planè ut *Syrophœnices*; de cujus deo, *Carmelo* scilicet monte, *Tacitus*, 2 Hist. 78 cap. & *Suetonius*, in *Vespas*. 5 cap.

Sub eo latet *Mazaca*, sive *Eusebia*, urbs ampla & locuples, urbium mater *Cappadocibus* habita; *Strabo*, lib. cit.

cit 370 pag. *Solinus*, 57 cap. *Ammianus*, 20 lib. 8 cap. quam, bellis vaſtatam denuò reſtauravit *Pompejus* Magnus. *Appianus*, *Mithrid.* 251 cap. &, *Archelai* regno in provinciam converſo, *Cæſaream* (Magnæ cognomen meritò additur) vocavit imp. *Tiberius*. *Euſebius*, ad A. C. 22. H. *Caiſſar*, ſive *Tiſaria* dicta: ad amnem *Melam*, in *Euphratem* ſeſe exonerantem: quam, civibus in *Chriſtiana* fide perſeverantibus, & idolorum fana diruentibus, ex numero civitatum delevit, & *Cæſaris* nomine privavit imp. *Julianus*. *Sozomenus*, Hiſt eccleſiaſt. 5 lib. 4 cap.

Aſtrum, *Argæo* impoſitum, *Solis* eſt; colebant enim *Cappadoces Perſica* numina (*Sol* interea principem tenet locum) à quibus ad *Romanos* horum cultus poſtmodum deſultavit. *Strabo*, 15 lib. 504 pag. *Plutarchus*, in *Syllæ* vit. apud *Voſſium*, de idolol. 2 lib. 9 & 64 cap. & in Addend. 4 pag.

CXI.

ΑΥ. ΚΑ. ΣΕΠ. ΣΕΟΥΗΡΟΣ. Imp. Cæſ. *Septimius Severus*: *Severi* lauro redimitum caput.

ΜΕΤΡΟΠ. ΚΑΙΣΑΡ. ΕΤ. Β Urbium matris *Cæſareæ*. Anno ſecundo: Mons *Argæus*, apici impoſito *Solis* aſtro.

Lucius Septimius Severus, (*Pertinacis* quoque cognomen modò amplectens, modò ſpernens) è *Lepti*, civitate *Africana*, oriundus, *Juliano Peſcennio*que devictis & cæſis, imperii *Romani* adminiſtrationem accepit. Bellicoſiſſimus omnium impp. qui ante eum fuerunt, à *Parthis Adiabenis*, & *Arabibus* domitis, *Parthicus Adiabenicus*, & *Arabicus* cognominatus; *Britanniam* quoque debellavit, & vallo à mari ad mare deducto, diviſit. Mortuus eſt *Eboraci*,

agens ætatis annum 65, & inter Divos relatus. *Eutropius*, 8 lib. 18 cap. *Victor*, 36 cap. *Spartianus* 19 cap. *Herodianus*, 3 lib 15 cap. *Orosius*, 7 lib. 17 cap.

De *Cæsarea*, urbium *Cappadocicarum* matre (*Macrini* imp. patria, docente *Cedreno*) modò ad præcedentem N. ſcripſimus.

Numeralis nota imperatoris Imperii vel Tribunitiæ poteſtatis annum notat; judice *Spanhemio*, lib. paſſim citati, 874 pag.

Tabula Decima Nona.

CXII. MARCIANOPOLIS, *Mœſiæ*.

.... ΤΟΣ ΑΝΤΩΝΙΝ.... Auguſtus *Antoninus*: *Caracallæ* laureatum caput.

ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΕΠ. ΚΥΙΝΤΙΛΙΑΝΟΥ. *Marcianopolitanorum*, ſub *Quintiliano*: Aquila explicatis alis aræ inſiſtens.

De *Caracalla* diximus ad 89 N.

Marcianopolis urbs eſt inferioris *Mœſiæ*, in *Thraciæ* confinio, ad *Pontum Euxinum*, inter opp. *Odeſſum* & *Anchialum*: ab imp. *Trajani* ſorore, *Marciana*, nomen nacta. *Ammianus*, 27 lib. 3 cap. illius enim puella in flumine (quod in media urbe oritur, *Potami* cognomento) lavans & aquam hauriens, eſt ſubmerſa. *Jornandes*, de B. *Getic.* 16 cap ad quam plurima prælia habuit imp. *Claudius. Pollio*, 9 cap. Videas & *Zoſimum*, 1 lib. 38 pag.

Aquila imperii *Romani* eſt ſymbolum, prout explicavimus

vimus ad ioi N. hinc & præcipuum ſignum in *Romano* exercitu. *Vegetius*, Milit. Rom. 2 lib. 6 cap. quam *Marius*, ſepties conſul, rejectis ſignorum aliis (in quibus equus, aper, &c.) legionibus dicavit. *Plinius*, 10 lib. 4 cap. Quinimò & hodiè apud *Germanos* imperium deſignant aquilæ geminæ coalitæ; clade ſcilicet *Variana* cum ſignis omnibus militaribus partæ: ex mente celſiſſimi Principis, & eruditionis portenti, *Ferdinandi Furſtenbergii*; cujus hoc, è Monum. *Paderbornenſ.* 21 pag. petitum carmen.

En ubi Romanæ *cladis monumenta ſuperſunt*,
Varus & Arminio *ſtratus ab hoſte jacet.*
Et campo in medio notum Victoria *nomen*
Servat, adhuc noſtris inclyta temporibus.
Auſpiciis rapuit pubes Germana *ſecundis*,
Imperii geminas *nobile pignus* aves.
Deſinat Euphrates Parthos *memorare triumphos*,
Clarior eſt cæſo Luppia Quinctilio.
Rapta Jovi Latio Craſſi *ſpolia ille perempti*
Reddidit: hic aquilas *obtinet uſque ſuas.*

Licet eas receptas teſtentur *Tacitus*, 1 Ann. 60 cap. 2 Ann. 25 cap. *Dio*, 60 lib. 668 pag accedente & nummo *Germanici* Cæſaris; in cujus altera area ſtans imperator dextram erigit, & aquilæ ſignum læva geſtat; juxta: SIGNIS RECEPT. DEVICTIS GERM. S. C. Videas *Angelonum*, 39 pag. *Patinum*, 83 pag. *Triſtanum*que, 853 pag.

Quintilianum, prætorem vel ſacrorum curatorem, in altero *Caracallæ* nummo, apud *Harduinum*, 312 pag. *Audi*

prænomen habuisse quidem deprehendimus: sed quis & qualis ille?

CXIII. ANCHIALUS, *Thraciæ*.

ΣΕΠΤΙ.... ΓΕΤΑΣ. Κ. *Septimius Geta* Cæsar: *Getæ* nudum caput.

ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ. *Anchialensium*: *Luna* crescens, ambiens astra tria.

Publius Septimius Geta, *Severi* & *Juliæ* filius; crudelissimo *Caracallæ* invisus frater; qui eum, 23 ætatis anno, patre mortuo, reconciliationem frustra moliente *Julia*, in amplexibus ejus, ferro trajecit. *Dio*, 77 lib. *Herodianus*, 4 lib. 4 cap. *Spartianus*, 1 cap. *Victor*, 37 cap.

Anchialus est oppidum *Thraciæ*, cis montem *Rhodopen*, ad *Ergini* fluminis ostia, juxta *Pontum Euxinum*; eo in loco sita quo olim *Messa*. *Plinius*, 4 lib. 11 cap. non procul ab *Apollonia* Magna: nempe in sinu intimo, ubi *Pontus* alterum sui flexum angulo finit. Ejus ita meminit *Ovidius*, 1 Trist. 9 eleg.

Et ab his, per Apollinis *urbem*,
Alta sub Anchiali *mœnia tendat iter.*

Dicta fuit ab imp. *Ulpio Trajano Ulpia*; verum hodiè ejus nomen *Anchelo*

Per *Lunam* designâtur hîc fortè vicinorum *Byzantiorum* Servatricem, *Dianam* luciferam; de qua non injucunda superius ad 33 N. Vocatur autem ea subindè Ταυροβόλος; quia corniculata, *tauri*que cornua referens, orbem terrarum

rum curſu ſuo luſtret. Verum & alias hujus cognomenti rationes tradidere *Voßius*, 2 lib 53 cap. & *Begerus*, 239 pag. quæ legi poſſunt.

At ſtellæ nobis ſunt *Severus*, filiique *Caracalla* & *Geta*. Quippe opinamur hoc, & illud præcedens, numiſma ab *Anchialenſibus*, in eorum honorem, ſignatum eo ipſo tempore, quo *Byzantii* mœnia, poſt arctiſſimam obſidionem, diruta, oppidumque in vici formam à *Severo* eſt redactum. Videas *Dionem*, 74 lib. 856 pag. *Herodianum*, 3 lib 6 cap. & quæ nos obiter ſuperius, 47 pag.

CXIV. AMPHIPOLIS, *Macedoniæ*.

ΙΟΥΛ. . . . ΣΑ. ΣΕΒ. *Julia Mæſa* Auguſta: *Mæſæ* caput.

ΑΜΦΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Amphipolitanorum*: Genius urbis, fæminæ, modium ſive calathum capite ſuſtinentis, ſpecie, ſellæ inſidens.

Julia Mæſa, *Emiſena* mulier, *Juliæ* (*Severi* conjugis) eſt ſoror; *Juliæ Soëmiadis*, & *Juliæ Mameæ* mater; & imperatorum *Elagabali* & *Alexandri* avia; à *Macrino Severianâ* aulâ (in qua, ſorore ſuperſtite, per annos aliquot vitam tranſegerat) ejecta, & in *Syriam* eſt ablegata. Hujus autem calliditate *Elagabalus* ad imperii culmen pervenit, hunc *Caracallæ* filium eſſe militibus perſuadens, largitionibusque profuſis corruptas legiones à *Macrino* abducens. Tandem, extrema ſenectute defuncta, à nepote *Alexandro* inter divos eſt relata. *Herodianus*, 5 lib. 3 cap.

Ma-

Macedonicam hanc *Amphipolin* deſcribere tentavimus ad 62 N ſuprà.

Modium genius capite gerit, fertilitatis ſymbolum; *Ægyptiorum* numinum ſolenne ornamentum: quippe illi capiti, *Serapidis* præſertim, imponunt modium, ſive calathum: teſte *Macrobio*, Saturnal. 1 lib. 20 cap. & *Artemidoro*, Oneir. 5 lib. 93 cap quoniam (*Jupiter* enim eſt frugum parens) mortalibus, largitate frugum, vitam præbet. Videantur de eo *Ruffinus*, Hiſt. Eccleſ. 2 lib. 23 cap. *Clemens Alexandrin.* 1 lib. Stromat. 51 pag. & *Jul Firmicus*, lib. de Errore profanar. Relig.

CXV. METROPOLIS, *Lydiæ*.

. . ΑΝΤ. . . . ΙΑΝΟΣ ΑΦ. . . . *Ant. Gordianus Africanus: Gordiani* ſenioris laureatum caput.

ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Metropolitanorum: Fortuna* ſtans, dextra copiæ cornu, & læva navis gubernaculum retinens; modio capiti impoſito.

Antonius Gordianus, è *Gracchorum* gente originem paternam; ex imp. vero *Trajani* ſtirpe maternam trahit: cui proconſuli *Africæ* (unde ei cognomen *Africani*) octuagenario ſeni, milites, à *Maximino* deficientes, in urbe *Africana Thyſtro* imperium obtruderunt.

Verum *Capelliano*, *Numidiæ* procuratore, (cui provinciâ abſcedere imperaverat) armata manu *Carthaginem* appropinquante, cingulo ſe ſuſpendit. Multitudo tamen, ejus morte occultata, *Gordianum* filium ſibi ducem elegerunt. Sic ad manus ventum eſt: at hîc & *Gordianus* filius

filius cecidit, & *Capellianus* victor *Carthaginem* intravit. *Herodianus*, 7 lib. 9 cap. *Capitolinus*, 15 & 16 cap.

Metropolis Lydiæ est urbs, ad *Caystrum* amnem, in ipso limine *Ioniæ*; scilicet inter *Ephesum* & *Smyrnam*: cujus meminêre *Livius*, 38 lib. 15 cap. *Plinius*, 5 lib. 29 cap. *H. Cabagea* vicus. Differt ab alia *Phrygiæ* Magnæ, quæ ad *Mæandrum* à Deûm matre condita; de quâ *Ptolemæus*, 5 lib. 2 cap. *Stephanus*, &c.

Fortuna inter antiquorum numina certè potentissimum creditum; scilicet illa *cæca, inconstans, & indignorum fautrix*: & revera incerta sors, h. e. paucis, incertum numen. *Plinius*, 2 lib. 7 cap. Unde sic acerrimus ille morum censor, *Juvenalis*, 10 sat. 365 vers.

Nullum numen habes si sit prudentia: nos te
Nos facimus, Fortuna, *deam*, *cœloque locamus*;

Depingitur ubique ferè dextra tenens copiæ cornu. *Pausanias*, in *Achaïc.* 190 pag. *Prudentius*, adversus *Symm.* 1 lib. 205 vers. hîsce:

Formatum Fortunæ *habitum*, *cum divite* cornu.

& sinistrâ navis gubernaculum: *Lactantius*, Instit. de Fals. Sap. 3 lib. 29 cap. *Galenus*, lib. Suasor. nempe ut telluris pelagique præses & regina: sec. *Horatium*; qui sic 1 lib. 35 od.

Te pauper ambit sollicita prece
Ruris *colonus! te Dominam* æquoris,
Quicunque Bithynâ *lacessit*
Carpathium *pelagus carina.*

Culta autem illa non solum apud *Romanos*, vario cognomento & ritu. *Dempsterus*, paralip. ad *Rosini* 2 lib. 16 cap. Verum & apud *Antiatas*; quorum numen *Horatius* adorat, od. modò cit.

O diva, gratum quæ regis Antium,
Præsens, &c.

videas (præter *Suetonium*, in *Calig.* 57 cap.) *Macrobium*, *Saturn.* 1 lib. 23. cap. de numero ejus duplici: qualis etiam apud *Prænestinos*, teste *Statio*, 1 Sylv. 3 carm. Vill. *Tyburt.*

Et Prænestinæ *poterant migrare sorores.*

h. e. Bona & Mala *Fortuna*. Consulantur *Lucanus*, 2 *Pharf.* vers. 193. *Silius*, B. *Pun.* 8 lib. 345 pag. *Martialis*, 5 lib. 1 epigr. præter *Ciceronem*, de Divinat. 2 lib. 41 cap. *Valer. Maximum*, 1 lib 3 cap. de *Lutatio*. *Suetonium*, in *Tib.* 63 cap. & in *Domit.* 15 cap.

Eo usque interim potentia ei adscripta, ut quicquid imperatoris alicujus ductu gestum esset, id *Fortunæ* daretur. *Claudianus*, Bell. *Geld.* 502 vers.

Si mihi tempestas Libyam, *ventique negabunt*,
Augusti Fortuna *dabit.*

vide *Mamertinum*, panegyr. *Maximian.* 292 pag. Unde ea in interiori quoque cubiculo Principum colebatur. *Capitolinus*, in *Anton.* Pio, 12 cap. & *Marco*, 7 cap.

De modio, sive calatho *Ægyptio*, modò diximus ad 114. N.

CXVI.

CXVI. CÆSAREA, *Cappadociæ.*

ΑΥ. Κ. Μ. ΑΝΤΟΝ. ΓΟΡΔΙΑΝΟΣ. Imp. Cæſ. *Marc. Anton. Gordianus: Gordiani* laureâ cinctum caput

ΜΗΤΡΟ. ΚΑΙΣ. ΝΕ. ΕΤ. Ζ. Metrop. (hæ ſculptori meræ tenebræ) *Cæſar.* Neocor. Anno ſexto: Spicæ aliquot colligatæ.

De *Gordiano*, iſtius nominis tertio, ſcripſimus ad 92 N. De *Cæſarea* ſub *Argæo*, ad 110 N.

Colligatæ verò ſpicæ fertilitatem & omnium rerum abundantiam, pacis & concordiæ vinculo coalitis civium mentibus, ſignificat. *Spanhemius*; 5 Diſſert. 446 pag. Unde & *Pax* ſpicifera *Tibullo*; qui ſic 1 lib. 10. eleg.

At nobis Pax *alma veni*, ſpicam*que teneto*;
Perfluat & pomis candidus ante ſinus.

Videas eam in num. *Titi*, apud *Patinum*, 151 pag. quin & ipſam quoque ſpicam, ſæpè papaveribus conjunctam, inter copiæ cornua connexa, in *Severi*, 53 tab 8 N. & *M. Antonii* Triumviri, 7 tab. 14 N. apud *Arſchotanum.*

CXVII. TARSUS, *Ciliciæ.*

ΣΑΒΕΙΝΙΑΝ ΤΡΑΝΚΥΛΛΕΙΝΑΝ ΣΕΒ. *Sabiniam Tranquillinam* Auguſtam: *Tranquillinæ* caput, *Lunæ* creſcenti impoſitum.

ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. Β. Α Μ. Κ. Γ. *Tarſi* metropolis. *B. A M. C. G.*

Bacchus ſtans, læva retinens thyrſum, & dextra

cantharum effundens in pantheram ; palla ex humeris ad suras usque dependente.

Furia Sabinia (non *Sabina*) *Tranquillina* filia fuit *Misithei*, optimi viri, & felicissimi belli ducis; uxor *Gordiani* tertii. *Capitolinus*, 23 cap. in expeditionibus fida conjugis comes ; in quibus & defuncta, à *Gordiano* divorum numero est inserta. *Oth. Sperlingius*, Differt de *Germenorum* nummo, 57 pag. quem tamen, quod *Apollinis Pythii* muliebre signum pro *Veneris* (sive *Tranquillinæ* potius) in eo sumpserit, rectè carpit, in superius 137 pag. cit. Differt. 61 pag. *Claud Nicasius*.

Luna hîc Augustæ apponitur, ex more forsan *Ægyptiorum*, qui eam reginæ assimilant ; docente *Sext. Empirico*, adversus Mathematicos; sic enim ille *Latinè*: Ægyptii *regi quidem & dextro oculo assimilant* Solem ; *reginæ verò & sinistro oculo* Lunam ; *quinque autem stellas satellitibus*. Quinimò fœminarum illustrium cum *Luna* comparatio crebra; ut apud *Eustathium*, de amor. *Ismen.* & *Ism.* 5 lib. & *Achill. Tatium*, de amor. *Leuc.* & *Clitiph.* 1 lib. Ita *Severi Juliam Lunæ* comparat *Oppianus*, initio operis ei dedicatæ. Ita denique *Didonem Dianam*que in sua comparatione conjungit *Virgilius*, 1 *Æneid.* 498 vers. Videas Augustarum plurima numismata, in quibus vel *Luna*, vel *Diana* lucifera cernitur expressa.

De *Tarso* Lectori fortè satisfecimus ad 109 N. Præter *Tarsenses* autem *Tranquillinæ* nummos signavêre *Chalcedonii*, *Amiseni*, *Germenses*, *Tralliani*, *Cadoëni*, *Cianenses*, *Ephesii*, *Temnitæ*, *Smyrnæi*, *Cumæi*, *Samii*, *Sardiani*, *Myræenses*,

ræenſes, *Sidetenſes*, *Seleucienſes* in *Cilic. Carrhenſes*, *Singarenſes*, aliique minoris *Aſiæ* populi; quos vel adiit, vel recuperavit, vel famâ ſuâ ad conferendos honores excitavit imp. *Gordianus*.

De *Baccho* nihil hîc repetemus ex iis quæ ad 109 N. annotata: ſequentia tamen *Sidonii* (22 carm. Burg. *Pontii*, 30 verſ.) hujus *Bacchi* cultum ſpectantia, prætерire piaculum duximus:

> Cantharus & thyrſus *dextrâ lævâque feruntur*;
> *Nec tegit exertos*, *ſed* tangit palla lacertos.

Quid verò illæ appoſitæ ſignificent litteræ, non aſſequimur: neque enim *Patini* (hoc loco: A M. C. *Amanicæ Ciliciæ* caput *Tarſus*. Theſaur. 188 & 198 pag. legentis, & B litteram callidè prætereuntis) conjectura placere potuit.

TABULA VICESIMA.

CXVIII. CÆSAREA, *Cappadociæ*.

..... ΚΑΙ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. .... Cæſ. *Antoninus*: *Caracallæ* laureatum caput.

ΜΗΤΡΟΠΟ. ΚΑΙΣΑΡ. ΕΤ. Γ. Metropol. *Cæſarea*. Anno tertio: Ara ad radices ſcopuloſas *Argæi* montis poſita.

De *Caracalla* repetas ea quæ ad 89 N.

De *Cæſarea*, & *Argæo* monte quæ ad 110 N. ſunt conſcripta. Similem verò aram, ſacrarum ædium dedicationis (ſic in *Macrini*, apud *Triſtanum*, 292 pag. templum monti ſubjectum) ludorumque celebrationis, ſolenne ſymbolum, ſpectamus in *Caracallæ*, apud eundem *Triſtanum*, 230 pag. & in *Alexandri Severi*, apud citatum, 399 pag.

CXIX. ANTIOCHIA, *Syriæ*.

ΑΥΤΟΚ. Κ. Γ. ΟΥΙΒ. ΤΡΕΒ. ΓΑΛΛΟΣ ΣΕΒ. Imperat. Cæſ. *Cai. Vib. Trebon. Gallus* Auguſt. *Galli* laureatum caput

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥ . . . ΥΠΑΤΟ Β. S C. Tribunitiæ poteſtatis. Conſuli ſecundo: Aquila explicatis alis inſiſtens ramo, lauream roſtro retinens.

De *Gallo* dictum ad 96 N.

De *Antiochia* ad 32 & 108 N. Notant autem veterum numiſmatum enarratores in omnibus *Antiòchenorum* nummis occurrere & concurrere S. C. & Δ. Ε. Fuit enim apud eos gemina Monetæ officina; in quarum altera quidem numiſmata nomine rectoris *Syriæ* cælabantur; cum inſcriptione: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, i. e. *Antiochienſium*; uſque ad *Caracallam*. Videas noſtrum 32 N.

In altera verò Moneta urbis notabatur, litteris ſolis S.C. appoſitis; nempè quæ denotent ipſius cudendæ facultatem, ſibi à *Pompejo* Magno conceſſam, Senatuscon.ulto fuiſſe confirmatam. Cui adduntur notæ Δ. Ε. vel, ut hîc, voces integræ; ut indicaret ea urbs, illam etiam plebiſcito laudatam, in memoriam *Pompeii*; qui poteſtatem Tribunitiam, à *Luc. Sulla* extinctam, reſtituerat.

Hoc loco tamen Tribunitia hæc poteſtas *Gallo* Auguſto (Auguſtæ quoque, licet admodum raró, adſcribi opinatur *Patinus*, Impp. 402 pag.) tribui poteſt & debet. Videantur conjecturæ *Vaillant*, 1 Mun. & Col. 188 pag ad *Othonis*, & 102 pag. T. poſt. in *Diadumeniani* N.

CXX.

CXX. HERACLEA, *Thraciæ*.

Marci Antonini laureatum caput. Inſcriptio deleta.

ΗΡΑΚΛΕ . . . ΑΘΗΝΑ . . . ΟΜΟ. *Heracleenſium* & *Athenienſium* Concordia: *Jupiter* Victor ſedens, haſtam læva tenens, & *Victoriæ* ſigillum dextra ſuſtinens; & *Pallas* ei adſtans.

Heraclea Thraciæ eſt, ab *Hercule* (in *Perinthi* comitis ſui memoriam) condita. *Ammianus*, 22 lib. 5 cap. indeque & *Perinthus* dicta: inter *Byzantium* & *Callipolim*, ad *Propontidem*; maxima urbs, palatiis & ædificiis ſplendidiſſimis à *Veſpaſiano* & Impp. cæteris inſtructa. Sita ad mare in edito peninſulæ jugo; ſic, cum collis clivus admodum ſurgat, & domus una ſuperet alteram altitudine, totius oppidi facies inſtar theatri conſpicitur. *Diodorus*, 16 lib. 77 cap. Expugnata olim à *Philippo Macedone*, quod *Athenienſium* rebus ſtuderet Idem, lib. cit. 75 cap.

Athenæ verò regionis *Græciæ* littoralis, quam prius *Acten*, mox *Atticam* vocavêre, illuſtre eſt oppidum; inter *Iliſſum* & *Cephiſum* fluvios, ad Saronicum ſinum, à *Cecrope* conditum, & à *Mopſo* refectum; *Minerva*, finita cum *Neptuno* lite, nomen ei tribuente. *Hyginus*, 164 Fab.

Clariſſima & florentiſſima quondam, unde *humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras diſtributæ putantur: de quorum urbis poſſeſſione, propter pulchritudinem, etiam inter deos certamen fuiſſe proditum eſt: quæ vetuſtate ea eſt, ut ipſa ex ſeſe ſuos cives genuiſſe dicatur: & eorum eadem terra parens, altrix, patria dicatur: authoritate autem tanta eſt,*

est, ut jam fractum propè, ac debilitatum Græciæ *nomen hujus urbis laude nitatur. Cicero*, pro *L. Flacco*, 26 pag. Imperatorum ducumque nutrix, oratorum & philosophorum mater, & poëtarum alumna: denique *alter oculus* Græciæ *Justino* (5 lib 8 cap.) pro salute & dignitate ejus, pace & bello, plurima perpessa: unde quoque, jam *Nasonis* ætate, prostrata & diruta; qui de cadavere ipsius ita, 15 lib. Met. 430.

Quid Pandioniæ *restant, nisi nomen* Athenæ?

Hodiè nomen hoc quidem servans, at barbariei tristis famula; sub *Turcarum* tyrannide ineluctabili indesinenter suspirans.

Jupiter hic Victor, sæpissimè spectatur in Impp. numismatibus apud *Choulium*, in *M. Aurel.* 53 pag. & *Oudanum*, in *Domit.* 39 Tab. 5 N. Meminit *Hyginus*, 185 cap. de *Hippom.* & *Atal.* & describit *Phurnutus*, 9 cap. præter *Porphyrium* apud *Eusebium*, 3 lib. 9 cap. Sed de templo, ipsi à *Q. Fabio* dedicato, *Livius*, 10 lib. 29 cap. apud quem & *Papirii Cursoris* votum, *Jovi* Victori factum, occurrit, lib. cit. 42 cap.

De *Pallade* sæpius ad 10, 18, 53, 65, & 68 N. cui si *Chalciœcæ* (videas *Pausaniam*, in Lacon. 365 pag.) cognomen hîc tribuas, nummus esse posset *Heracleæ*, quæ in *Acarnania*; cuique meminit *Plinius*, 4 lib. 1 cap. Videatur *Harduinus*, 193 pag. Nos tamen opinamur hoc in numismate exhiberi *Palladem Athenarum*, sive *Minervam Poliadem*, cujus tutelæ curæque urbs commissa: unde ea

Pal-

Palladis urbs *Horatio*, 1 lib. 7 od. ubi ſic ille Lyricus:

Sunt quibus unum opus eſt intactæ Palladis urbem
Carmine perpetuo celebrare.

Communionem & concordiam ſanciebant, & ſubinde ſolenni modo renovabant vicinæ, remotioresve urbes; nempe dum

1. Vel, depoſitis odiis ac ſimultatibus, amicas dextras jungunt. Videas talia diſſidia æmulantium urbium, apud *Herodianum*, 3 lib. 2 cap. *Dionem Chryſoſt. Ariſtidem*, &c.
2. Vel, multis licet terrarum ſpaciis disjunctæ, Sacrorum tamen communionem habent. Quod teſtantur urbium, etiam longè diſſitarum, Numiſmata, eorundem numinum ſimulacris exornata.
3. Vel cognationis vinculum, quo colligatæ inter ſeſe, teſtantur; Sorores indè dictæ. *Tertullianus*, de pallio, 1 cap. de *Carthagine* & *Utica*.
4. Vel commune jus Hoſpitii ſignificant. Quo jure junctæ *Miletus* & *Sybaris*; apud *Herodotum*, 6 lib. 21 cap.
5. Sive & jus Commercii; quale inter *Megarenſes* & *Corinthios*; apud *Ariſtotelem*, Polit. 3 lib. 6 cap. cui & Connubia mutua addas; ex ejuſdem, lib. cit. cap. Quibus adolevit floruitque *Cremona*, narrante *Tacito*, Hiſt. 3 lib. 34 cap.

Ita invenies concordiam & communionem

1. *Pergamenorum* cum *Ephesiis*, in N. *Commodi*, apud *Monterch.* 6 N. sive cum *Smyrnæis*, in *Caracallæ*, apud *Petitum*, de Amazon. 134 pag. &c.
2. *Ephesiorum* cum *Smyrnæis*, in *Domitiæ*, apud *Patinum*, 169 pag. sive cum *Smyrnæis* & *Pergamenis*, in *Ant. Pii*; apud *Choulium*, 78 pag. &c.
3. *Smyrnæorum* cum *Athenienfibus*, in *Commodi*, apud *Spanhemium*, 794 pag. &c.

Verum videas hunc egregiè de iis differentem, 9 Differt. 791 & seq. pag.

CXXI. ANTIOCHIA, *Syriæ*.

ΕΡΕΝΝΙΑ ΤΡΟΥΣΚΙΛΛΑ CΕΒ. *Herennia Etruscilla* Augusta: *Etruscillæ* caput, *Lunæ* crescenti impositum.

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥΣΙΑΣ S. C. *Tribunitiæ potestatis.* S. C. Aquila pansis alis insistens palmæ ramo, rostro coronam retinens.

Herennia Etruscilla fit aliis filia *Trajani Decii*, & aliis conjux *Hostiliani*, sive *Volusiani*; nobis jam nominati *Decii* est uxor; verum ea obscura, & *ignota longâ*

Nocte; caret quia vate sacro.

De *Antiochia* pluries dictum; quemadmodum & de aquila, imperii *Romani* symbolo; in *Emisenorum*, *Rhesainensium*que, aliorumque *Syriæ* populorum, numismatibus sæpius expresso.

De

De palmæ ramo, *Phœniciæ*, quinimò totius *Syriæ* typo ad 28 N.

Denique de Tribunitia poteſtate (honos ille non niſi viris unquam conceſſus) modò ad 119 N.

CXXII. CASSANDREA, *Macedoniæ.*

SEMNOS AYT. C. M. ANTΩNINOS. Auguſtus Imp. Cæſ. *Marc. Antoninus: Caracallæ* laureatum caput.

CASSANDRIA. . . . . . *Pallas* loricata gradiens, lævâ vibrans haſtam, & dextra ſcutum prætendens.

De *Caracalla* ſcripſimus ad 89 N.

Caſſandrea, ſive *Caſſandria*, prius dicta *Potidæa*, *Macedoniæ* eſt, (quam *Philippus* expugnaverat circa illud ipſum tempus, quo ei *Alexander* natus. *Plutarchus*, in *Alex.* 8 pag.) eminens in ora littorali maris *Ægæi*, ad *Thermaïcum* ſinum. Videas *Livium*, 44 lib. 11 cap. *Corinthiorum* olim colonia. *Thucydides*, 1 lib. Verum, bello *Peloponneſiaco*, ab *Athenienſibus* capta atque habitata; poſtmodum à *Caſſandro* reparata, & exornata. *Pauſanias, Eliac.* prior. 608 pag. tandemque, à *Paulo Æmylio* devicto *Macedonum* rege *Perſeo*, *Romanorum* colonia & facta. *Plinius*, 4 lib. 10 cap.

De *Pallade* ſuperius multa: ſpeciatim verò de ejus galea (eſt enim *belligera Senecæ*, *Herc.* Fur. 901 verſ. & *regina bellorum Statio*, 4 ſylv. ad *Sept. Severum*, 23 verſ.) ad 19 N. clypei meminit, ut & haſtæ, *Ovidius*, 6 Metam. 78 verſ. ubi de picturis in telà *Palladiâ*:

At sibi dat clypeum, *dat acutæ cuspidis* hastam,
Dat galeam *capiti*, *defenditur* ægide *pectus*.

Videatur & *Virgilius*, 2 Æn. 227 vers. *Seneca*, *Agamem.* 529 vers. *Martialis*, 14 lib. 79 epigr. qui quoque, 7 lib. 1 epigr. sic de lorica ejus, è squammoso serpentum corio contexta:

Accipe belligeræ crudum thoraca Minervæ,
Ipsa Medusæi *quem timet ira comæ*.

Inscriptio denique bilinguis, *Græca* hinc & hinc *Latina*, in hoc numismate occurrit: quod familiare admodum *Romanis* coloniis plerisque; quæ quidem vernaculam antiquam retinebant, verum & linguam *Latinam*, unà cum novis colonis, admittebant: quinimò quandoque, lapsu temporis, indigenis extinctis, *Latinè* tantum cuncta efferebant: prout *Corinthi* demonstrat exemplo *Spanhemius*, 9 differt. 9 can. 914 pag.

CXXIII. EPHESUS, *Joniæ*.

ΣΑΛΟΝ. ΧΡΥΣΟΓΟΝΗΣ. ΣΕΒΑ. *Saloninæ Chrysogones* Augustæ: *Saloninæ* caput *Lunæ* crescenti impositum.

ΕΦΕΣΙΩΝ Γ ΝΕΟΚΟΡΩΝ. *Ephesiorum* ter rerum sacrarum curatorum: *Diana* Venatrix, succincta, læva retinens arcum, dextra sagittam è pharetra deponens; comite cane.

Salonina, forsan apud *Salonas* nata, *Gallieni* uxor; incertæ stirpis mulier; eximiæ tamen pulchritudinis; materque

que Cæſaris *Publ. Licin. Corn. Salonini Valeriani*, à *Gallieno* patre, inter divos relati; poſtquam, *Poſthumi* ſcelere, in *Germania* à militibus eſſet interfectus. *Treb. Pollio*, in *Poſth.* 3 cap.

Hanc autem & *Pipam*, ſive *Piparam*, (quam concubinam vocat regis *Victor*, 47 cap.) *Attali Marcomannorum* filiam *Gallieni* conjugem alteram confundere videtur *Pollio* citatus, in *Galien.* 3 cap. quas omnium optimè diſtinguit *Triſtanus*, 3 Tom 96 pag.

De *Epheſo* dedimus obſervationes noſtras ad citatum 35 N. quibus liberalitatem regis *Alexandri*, promittentis, *Aſiâ* perpacata, ſumptus omnes, qui in *Dianæ* templi, flammis abſumpti, reſtaurationem facti eſſent, ſe reſtiturum, ſi nomen ejus operi inſtaurato permitteretur inſcribi. Quod *Epheſiis* deprecantibus, tributa, quæ *Perſis* dare conſueverant, nihilominus *Dianæ* pendi mandavit, & jus Aſyli, quod antiquitus etiam *Liberum* Patrem & *Herculem* ſervaviſſe cognoverat, confirmavit. *Strabo*, 14 lib. 441 pag.

Diana ſpectatur hîc *Epheſina* (cui cives urbem dicavêre, à *Cræſo Lydorum* rege obſeſſi, fune ad murum ex æde *Latoniæ* alligato: *Herodotus*, in *Clio*, 26 cap.) non tamen multimammia (de qua *Hieronymus*, 6 tom 1 lib epiſt. *Pauli* ad *Epheſ.* proëm. 106 & *Minut. Felix*, 23 pag) ſed Elaphica ſive Venatrix; de qua & ad 77 N. ſuccincta quidem ſec. eundem *Minucium*, & *Prudentium*, qui (videas & *Ovidium*, Amor. 3 lib. 2 leg.) ſic 281 verſ. in *Romani* mart.

At ſibi dat clypeum, *dat acutæ cuſpidis* haſtam,
Dat galeam *capiti*, *defenditur* ægide *pectus*.

Videatur & *Virgilius*, 2 Æn. 227 verſ. *Seneca*, *Agamem.* 529 verſ. *Martialis*, 14 lib. 79 epigr. qui quoque, 7 lib. 1 epigr. ſic de lorica ejus, è ſquammoſo ſerpentum corio contexta:

Accipe belligeræ crudum thoraca Minervæ,
Ipſa Meduſæi *quem timet ira comæ.*

Inſcriptio denique bilinguis, *Græca* hinc & hinc *Latina*, in hoc numiſmate occurrit: quod familiare admodum *Romanis* coloniis plerisque; quæ quidem vernaculam antiquam retinebant, verum & linguam *Latinam*, unà cum novis colonis, admittebant: quinimò quandoque, lapſu temporis, indigenis extinctis, *Latinè* tantum cuncta efferebant: prout *Corinthi* demonſtrat exemplo *Spanhemius*, 9 differt. 9 can. 914 pag.

CXXIII. EPHESUS, *Joniæ*.

ΣΑΛΟΝ. ΧΡΥΣΟΓΟΝΗΣ. ΣΕΒΑ. *Saloninæ Chryſogones* Auguſtæ: *Saloninæ* caput *Lunæ* creſcenti impoſitum.

ΕΦΕΣΙΩΝ Γ ΝΕΟΚΟΡΩΝ. *Epheſiorum* ter rerum ſacrarum curatorum: *Diana* Venatrix, ſuccincta, læva retinens arcum, dextra ſagittam è pharetra deponens; comite cane.

Salonina, forſan apud *Salonas* nata, *Gallieni* uxor; incertæ ſtirpis mulier; eximiæ tamen pulchritudinis; materque

que Cæſaris *Publ. Licin. Corn. Salonini Valeriani*, à *Gallieno* patre, inter divos relati; poſtquam, *Poſthumi* ſcelere, in *Germania* à militibus eſſet interfectus. *Treb. Pollio*, in *Poſth.* 3 cap.

Hanc autem & *Pipam*, ſive *Piparam*, (quam concubinam vocat regis *Victor*, 47 cap.) *Attali Marcomannorum* filiam *Gallieni* conjugem alteram confundere videtur *Pollio* citatus, in *Galien.* 3 cap. quas omnium optimè diſtinguit *Triſtanus*, 3 Tom 96 pag.

De *Epheſo* dedimus obſervationes noſtras ad citatum 35 N. quibus liberalitatem regis *Alexandri*, promittentis, *Aſiâ* perpacata, ſumptus omnes, qui in *Dianæ* templi, flammis abſumpti, reſtaurationem facti eſſent, ſe reſtiturum, ſi nomen ejus operi inſtaurato permitteretur inſcribi. Quod *Epheſiis* deprecantibus, tributa, quæ *Perſis* dare conſueverant, nihilominus *Dianæ* pendi mandavit, & jus Aſyli, quod antiquitus etiam *Liberum* Patrem & *Herculem* ſervaviſſe cognoverat, confirmavit. *Strabo*, 14 lib. 441 pag.

Diana ſpectatur hîc *Epheſina* (cui cives urbem dicavêre, à *Cræſo Lydorum* rege obſeſſi, fune ad murum ex æde *Latoniæ* alligato: *Herodotus*, in *Clio*, 26 cap.) non tamen multimammia (de qua *Hieronymus*, 6 tom 1 lib epiſt. *Pauli* ad *Epheſ.* proœm. 106 & *Minut. Felix*, 23 pag) ſed Elaphica ſive Venatrix; de qua & ad 77 N. ſuccincta quidem ſec. eundem *Minucium*, & *Prudentium*, qui (videas & *Ovidium*, Amor. 3 lib. 2 leg.) ſic 281 verſ. in *Romani* mart.

Tum quod Dianam *molle* ſuccinctam *vident*,
Venantis arcum *pertimeſcunt virginis.*

Et *Claudianum*, de Rapt. 2 lib 33 verſ.

Pendent poſt terga ſagittæ.
Criſpatur gemino veſtis Gortynia cinctu
Poplite *fuſa tenus*.

De Canibus ejus canunt *Callimachus*, in hymn. *Dianæ*, 86 & ſeqq. verſ. & *Claudianus*, 3 lib. *Stilich.* 293 verſ. unde & *Apulejus*, 2 lib. Metam. *Dianæ* ſtatuam deſcribens, hoc modo & canum meminit: Canes *utrimque ſecus deæ latera muniunt*; *qui* canes *& ipſi lapis erant. His oculi minantur, aures rigent, nares hiant, ora ſæviunt, &, ſicunde latratus de proximo ingruerit, eum putabis de faucibus lapidis exire: &, in quo ſummum ſpecimen operæ fabrilis egregius ille ſignifex prodidit, ſublatis* canibus *in pectus arduis pedes imi reſiſtunt, currunt priores.*

De Neocoris ſcriptum ad 14 N. *Epheſus* verò occurrit ſpeciatim ſimpliciter Neocoros in *Severi*, apud *Morellium*, 11 Tab. ſecundò in *Commodi*, apud *Triſtanum*, 743 pag. tertiò in hoc noſtro *Saloninæ*, & *Gallieni*, apud *Harduinum*, 116 pag. & quarto denique in *Elagabali*, apud citatum *Morellium*, 2 Tab. & in *Alexand. Severi*, apud *Patinum*, 351 pag.

TA-

TABULA VIGESIMA PRIMA.

CXXVI. GABII, *Italiæ.*

IMP. CAES. AUGUS. TR. POT. VIII. *Augusti* inexornatum caput.

FOED. P. R. CUM GABINIS. C. ANTIST. VETUS. Feciales duo, ſolenni more velati, porcam pedibus retinentes, ſuprà incenſam aram.

De *Auguſto* jam diximus ad 78 & 81 N.

Ei autem Tribunitia poteſtas non vulgato tantum ritu, cum appellationibus aliis, conjuncta, ſed ſola & integra, in numiſmatibus plerisque tribuitur. Id enim *ſummi faſtigii vocabulum* ipſe repperit. *Tacitus*, 3 Ann. 56 cap. Dictatoris nomen, *genu nixus, dejectâ ab humeris toga nudo pectore deprecatus. Suetonius*, 52 cap. *Paterculus*, 2 lib. 89 cap. ut & *Dio*, 54 lib 520 pag. interea ſub Imperatoris prænomine & Tribunitiæ poteſtatis titulo longè majorem poteſtatem exercens. Quamobrem ei per 37 annos dignitas hæc continuata. *Tacitus*, 1 Ann. 9 cap. atque ita perpetuata. *Suetonius*, 27 cap.

Gabii, urbs *Volſcorum*, in viâ *Prænestina*; olim à *Siculis* condita. *Solinus*, 8 cap. *Albanorum* quoque colonia; in qua *Romulus* & *Remus* educati. *Plutarchus*, in *Rom* 30 pag. fraude demum *Sexti*, *Tarquinii* Superbi filii, in *Romanorum* ditionem redacta. *Livius*, 1 lib. 54 cap. Verum, jam ſub imperio *Auguſti*, bellis civilibus fracta, & deſerta. Unde ſic de ea *Horatius*, 1 lib. 11 epiſt.

Scis

Scis Lebedus *quam sit* Gabiis *desertior*, *atque*
Fidenis *vicus*.

& (præter *Propertium*, 4 lib. 1 eleg.) *Lucanus*, *7 Pharsal.* 392 verſ.

Gabios, Vejos*que*, Coram*que*,
Pulvere vix tectæ poterunt monstrare ruïnæ.

Hodiè, eâ penitus exciſâ, *Gabiorum* tantum rudera oſtenduntur. Quam verè *Rutilius Numant.* in Itinerar. *Populoniam* cum gemitu reſpiciens!

Non indignemur mortalia corpora solvi,
Cernimus exemplis oppida poſse mori.

& quam ornatè ſimul *Ciceronem*, *Tulliæ* obitum lugentem, conſolaturus *Serv.Sulpitius*, 4 lib. Famil. 5 epiſt. *Ex* Aſiâ *rediens,cum ab* Ægina Megaram *versus navigarem,cœpi regiones circumcircà prospicere. Post me erat* Ægina, *ante* Megara, *dextra* Piræus, *sinistra* Corinthus: *quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata & diruta ante oculos jacent. Cæpi egomet mecum sic cogitare: hem! nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet; cum uno in loco* tot oppidûm cadavera *projecta jaceant.*

Roma, *princeps urbium*, *Horatio*, 4 lib. 3 od. *terrarum dea gentiumque Martiali*, 12 lib. 8 epigr. urbs eſt *Latii*, in *Italia*, ad *Tibrim*; *de qua silere melius puto* (ſic de *Carthagine Salustius*, B. *Jugurth.* 19 cap.) *quam parum dicere.*

Saltem ſententia maximè recepta eſt eam à *Romulo* &

Remo

Remo conditam; qua tempeſtate *Achas Judæorum* fuit rex; nempe *Olympiadis* ſeptimæ anno primo. *Dionyſius Halyc.* 1 lib. 33 pag.

Narratur tamen & antè *Romulum*, imò diu ante *Trojanum* bellum, conditam, à *Siculis* habitatam, & jam, antè *Arcadis Euandri* adventum, notam, nomine *Valentiæ*, h.e. *Romæ*; à ῥώμη, *robur*. Vet. Gloſſa. *Marinus, Lupercalium* poëta, apud *Serv.* ad 1 eclog. *Virgil.* *Plutarchus*, in *Romul.* 26 pag. *Solinus*, 2 cap.

Ea autem, vario tempore, pluries, à *Gallis Senonibus*, à *Gothis*, à *Vandalis*, ab *Herulis*, ab *Oſtrogothis*, à *Totila*, & ultimò ab exercitu *Caroli* Quinti, expugnata, incenſa, direpta & miſerrime vexata, venerabile illud nomen *Romæ* vix hodiè conſervat. Merito ergò de hac, quæ de *Troia* cecinit 15 Metam. 424 verſ. *Ovidius*:

> *Nunc humilis veteres tantummodo* Troia *ruinas,*
> *Et pro divitiis tumulos oſtendit avorum.*

Porcam veteres obtulêre *Cereri Eleuſinæ*, teſtante (præter denarium *Vibiæ* gentis, & *Gellium*, *Catonem*, *Feſtum*, ac *Varronem*) *Ovidio*, 4 Faſtor. 413 verſ.

> *A bove ſuccincti cultros removete miniſtri;*
> *Bos aret: ignavam ſacrificate* ſuem.

Verum & *Veneri*. *Callimachus*, & *Varro*, 2 lib. de Re ruſtic. & *Sylvano*, pecoris & arvorum deo. *Juvenalis*, 6 ſat. 446 verſ.

Crure tenus medio tunicas succingere debet;
Cædere Sylvano porcum.

denique & *Laribus. Horatius*, 2 lib. 3 sat. 164 vers.

Immolet æquis
Hic porcum Laribus.

& hinc porcus *mysticus Tibullo* dictus, 1 lib. 10 eleg. Verum ille quoque in fœderibus adhibitus. *Virgilius*, 8 lib. *Romuli Tatii*que fœdus, in *Æneæ* clypeo expressum, describens, 8 *Æneid* 639 vers.

Post iidem, inter se posito certamine, Reges
Armati, Jovis *antè aram, paterasque tenentes*
Stabant, & *cæsa jungebant fœdera* porcâ.

Nempe arreptum eum saxo percutiebat fœcialis (videatur *Livius*, 1 lib. 24 cap.) inter alia & hæc exclamans: *Populus* Romanus *prior non deficiet. Si prior defexit, publico consilio, dolo malo, tu illo die*, Jupiter, *populum* Romanum *sic ferito, ut ego hunc* porcum *hic hodiè feriam: tantòque magis ferito, quantò magis potes, pollesque!* Adde & *Virgilium*, 12 *Æneid.* 170 vers. *Livium*, 9 lib. 5 cap. & *Quintilianum*, 8 lib. 3 cap. quin & *Patinum*, ad denar. gentium *Veturiæ*, & *Sulpiciæ*.

Quam cerimoniam veterem, cum regibus fœdus iciens, etiam adhibuit Imp *Claudius. Suetonius*, 25 cap. Hinc illud proverbium apud *Plautum*, Captiv. 3 act. 4 scen. ubi sic *Tyndarus:*

Nunc ego omnino occidi:
Nunc ego inter sacrum saxumque sto; nec, quid agam, scio.

De

De fœdere tamen *Romanorum* & *Gabinorum* nullus (ſaltem non occurrit ille) *Latinarum* rerum ſcriptor meminit.

Antiſtium Veterem (A. V. C. 747, cum *D. Lælio Balbo* conſulem) perhonorifico teſtimonio extollit *Cicero*, ad *Brutum*, 11 & 12 epiſt. & laudat *Laurea Iullius*, in epigrammate apud *Plinium*, 31 lib. 2 cap. Videatur *Paterculus*, 2 lib. 43 cap.

CXXV. STOBI, *Macedoniæ*.

......DOM. CAES.... F. IMP....

Titi caput laureatum & *Domitiani* nudatum, ſeſe reſpicientia.

MUN...... Templi tetraſtyli facies anterior.

Titus Flavii Veſpaſiani filius, omnium virtutum genere admirabilis, & hinc *amor ac delicium generis humani* meritò dictus, *Domitiani*, turpiſſimi fratris, inſidiis interemptus, è *Suetonio, Dione, Joſepho, Victore* atque *Eutropio*, notiſſimus eſt.

De *Domitiano* ſcriptum ad 103 N.

Stobi Macedoniæ vetus urbs *Livio*, 39 lib. 54 cap. nempe *Pænum*, in *Pelagonia*; civium *Romanorum Plinio*, 4 lib. 10 cap. hodiè (*Nardo* ſaltem) *Starachino* dicta. Situm luculenter exprimit inſignis *Getæ* nummus apud *Vaillant*, 85 pag. in quo cernitur Imperatoris paludati ſimulacrum inter recumbentes fluvios, *Erigonem* & *Rhœdiam*; quorum ille barbatus, & hic imberbis, fluenta ſua commiſcentes.

Templum Divi *Auguſti* eſt, ut *Vaillant* (192 pag.) opinatur, fortaſſe à *Veſpaſianis* reparatum: ſaltem & pater & uterque filius à *Stobenſibus*, innumeris numiſmatibus ſunt honorati. Videantur hæc apud *Patinum*, 142 pag. ut & alios.

CXXVI. CORINTHUS, *Peloponnesi.*

.. CAES. TRAIAN... HADR. *Hadriani* laurea redimitum caput.

COL. L. IUL. COR. h.e. Colonia Laus *Julia Corinthus: Bellerophon Pegasum* reluctantem coërcens.

Ælius Hadrianus, Italicæ in *Hispania* natus, *Plotinæ* beneficio ad imperium evectus est Imperatorum primus (ut in facie vulnera tegeret) barbam alens. Eloquio togæque studio eminentissimus. Omnis artificii pœnè opifex incredibilis. *Sabinæ* morosæ & impudicæ mulieris severus maritus. *Antinoi* pueri turpis amator *L. Ælii* denique adoptati infaustus pater. Peragratis sanè omnibus orbis partibus, & provinciis multis sublevatis atque honoratis, tandem 72 annum ætatis agens, juxta *Bajas* in *Campania* tabe interiit. *Spartianus*, 25 cap. *Dio*, 69 lib. *Victor*, 8 lib. 7 cap. *Eutropius*, 14 cap.

Corinthus antiquissima *Achaiæ* urbs, *Ciceroni* (orat. pro lege *Manil.* 344 pag.) Græciæ *totius lumen*; *Floro* (2 lib. 16 cap) *ejus decus*; & *Horatio* (1 lib 7 od.) *bimaris*, nempe inter *Ionium* & *Ægæum* mare quasi spectaculo exposita; in medio Isthmi *Peloponnesiaci*, ab ortu *Saronicum* & ab occasu *Crissæum* sinum ex arce, in immanem altitudinem edita, respiciens; duobus portubus quoque inclyta, quorum *Lechæus Ionio*, *Schœnus*que *Ægæo* mari imminet. Ab *Athenis* & *Sparta* proximam authoritatem in *Græcia* obtinens; bellum *Peloponnesiacum* contra *Corcyræos* & *Athenienses* inchoans, & navali prælio contendens. Hinc postmo-

modum à *Romanis*, potentiam ejus metuentibus, duce *Luc Mummio*, capta, incensa & solo æquata; tandem denique à *Iulio Cæsare* restituta, reparata, & *Iulia* dicta. Videantur de famigeratissima hac urbe *Cicero*, 1 *Verrin* 235 pag. & advers. *Rullum*, 386 pag. *Strabo*, *Pausanias*, *Florus*, &c. apud *Lud. Nonnium*, ad *Goltz. Græc.* 13 Tab.

Ab hac autem æs cognominatur *Corinthiacum*, quod jam ante eversionem pretiosissimum fuisse liquet ex *Homero*, 15 *Iliad.* *Plinio*, 34 lib. 2 cap. *Seneca*; qui sic in choro *Med.* 795 vers.

Inque auxilium, Dictynna, *tuum*,
Pretiosa sonent æra Corinthi.

Bellerophon, *Stenobœæ* (*Præti Argivi* conjugis) libidini recusans obsequi, apud regem accusatus, ab hoc in *Lyciam* est missus, ut ibidem, quovis modo, jubente *Iobate* (*Præti* socero) perimeretur. *Iobate* autem chimæræ eum objiciente, *Minerva* innocenti juveni *Pegasum* (hinc Frænatricis nomen deæ datum; testante *Pausania*, in *Corinth.* 181 pag.) misit, quo subvectus triplex illud monstrum sagittis confecit. Videatur *Homerus*, 6 *Iliad.* 106 pag. *Plautus*, *Bacchid.* 4 act. 7 sc. *Horatius*, 3 lib. 7 od. *Palæphatus*, 1 lib. Verum postea cælos conscensurus, in terram decidit. *Hyginus*, Astron. poët. 18 cap. & *Horatius*, 4 lib. 11 od. hisce verbis:

Et exemplum grave præbet ales
Pegasum, *terrenum equitem gravatus*
Bellerophontem.

Pegasus autem, sursum ac deorsum oberrans, tandem ad *Iovis* præsepia deductus, & *Auroræ* traditus est. *Pindarus*, *Olymp.* 13 od. 232 pag.

Ve-

Verum hæc in Fabulis: nam *Bellerophon* omnius primus equo vehi docuit, *Plinius*, 7 lib. 56 cap. *Chimæram*que, infrugiferum *Lyciæ* montem, fecit habitabilem. *Plutarchus*, de virt. Mulier. in *Lyciis*, 413 pag.

Sed cur ille in *Corinthiorum* numismate? Quoniam hîc, ad *Pirenen* fontem, captus à *Bellerophonte Pegasus*. *Strabo*, 8 lib. 261 pag. Unde & Moneta *Corinthiorum*, *Pegasum* habens insculptum, *Pullus* vocabatur. *Iul. Pollux*, Onomast. 9 lib. 6 cap.

Interim *Hadriano* fœdissime adulantes *Corinthii*, sub imaginibus *Bellerophontis* & *Pegasi*, *Antinoum* & equum *Borysthenem* conspiciendos præbent.

De *Antinoo Bithyno*, laudatissimæ pulchritudinis puero, ejusque submersione, dum per *Nilum* navigaret, res notissima. Quem, volente *Hadriano*, consecravêre plurimæ *Græciæ* (non enim *Romam* usque transiit ejus cultus, nec à *Senatu* est approbatus) & *Asiæ* civitates: præsertim verò tripodibus, altaribus, templis, sacrificiis, festis, ludis annuis, & agonibus coluêre *Bithyni*, qui origine *Arcades*, & *Mantinenses*. *Pausanias*, in *Arcad.* 223 pag. Videantur *Spartianus*, 14 cap. *Dio*, 69 lib. 797 pag. *Victor*, 14 cap. & *Prudentius*, 2 lib. contrà *Symmach* 271 vers.

Borysthenis meminit *Dio Cassius*, 69 lib. 797 pag. cui mortuo sepulcrum fecit, columnam erexit, epigramma inscripsit (extat hoc adhuc hodiè in *Gallia*, urbe *Apta Iulia*) atque ita equum quodammodo consecravit *Hadrianus*. Videas *Nicasium*, de N. *Hadriani* Pantheo, 35 & 36 pag.

CXXVII.

CXXVII

... CAES.... ADRIANUS: *Hadriani* laureatum caput.

.... IUL. COR.... *Pallas* haſtata ſtans, victoriæ ſigillum dextra ſuſtinens.

De *Hadriano* modo: in cujus honorem varia percuſſêre Numismata *Corinthii*; ob ædificata balnea (*Pauſanias*, in *Corinth.* 178 pag.) erectos aquæ ductus (Idem, in *Arcad.* 255 pag.) aliaque egregia beneficia, eum maximopere venerantes.

De *Corintho* etiam ſuprà.

De *Pallade Victoria*, ſive *Minerva* Victrice, ſuprà quoque ad 18 N. Ea verò, ſummo honore, culta à *Corinthiis*, qui ſtatuam ejus multis in locis collocaverant. *Pauſanias*, in *Corinth.* 205 & 266 pag.

Hoſce autem *Corinthiacos*, certè pulcherrimos, nummos huic gazæ addidit JOHANNES SCHONAT; qui poſſeſſor eorum factus fuerat, anno 1688, ſub auſpiciis *Venetorum*, in *Græcia*, fortis ſignifer, & inter *Corinthios* perquam jucundus commilito.

CXXVIII. Incerta.

IMP. CAES. PESC. NIGER. IUST. AUG. *Peſcennii* laureatum caput.

IUSTITIA AUGUSTI: Stolata, læva retinens copiæ cornu, dextra bilancem geſtans.

C Peſcennius Niger, imperium affectans, habuit æmulantem, ſibique adverſantem hoſtem *Severum*: qui eum, ad

ad *Cyzicum* fusum, mox apud *Issicum* sinum (ubi quondam ab *Alexandro* debellatus *Persarum* rex *Darius*) profligavit. Profligatum *Severiani* persequuti circa *Antiochiam* latitantem repererunt,& caput amputaverunt. *Spartianus*, 5 cap. *Dio*, 74 lib. *Herodianus*, 3 lib. 4 cap.

Justitiæ sive Æquitatis simulacrum rarissimo hoc suo Numismati imposuit *Pescennius*, ut ab ea nomen habens Justi. *Fuit* enim (narrante *Spartiano*, 6 cap.) *miles optimus, tribunus singularis, dux præcipuus, legatus severissimus, consul insignis, vir domi forisque conspicuus, imperator infelix.*

Discat interim Lector ex hoc nummo Veteres Justitiam sine velamine & non excœcatam effingere; quod & observavit olim *Damascius* apud *Photium*, in vit. *Isidor.* Philosophi: & nuper *Oudanus*, ad 65 Tab. 239 pag.

CXXIX. EDESSA, *Syriæ.*

Caracallæ laureatum caput; at inscriptio prorsus erosa.

. . . . . ONINIA. . . . . . . *Edessa Antoniniana*: Turritum velatumque caput; apposito copiæ cornu.

De *Caracalla* superius, ad 89 N.

De *Edessa* ad 97 N. Hæc autem, colonia libera, *Antoniniana* dicta est in *Caracallæ* honorem; prorsus ut *Cæsarea Palestinæ*. Videatur *Vaillant*, Munic. & colon. 49 & 73 pag. &c.

De velatis urbium geniis ad 33 N.

Denique de copia cornu dictum ad 25, 39, & 105 N. Additur autem plerunque illud,in nummorum aversis areis, Urbium Regionumque imaginibus, ex. gr. *Italiæ*, in *Antonini*

nini Pii N. apud *Tristanum*, 571 pag. quem respicere videtur *Horatius*, 1 lib. 12 epist. ad *Icc.* scribens:

Aurea fruges
Italiæ *pleno perfudit* copia cornu.

TABULA VIGESIMA SECUNDA.

CXXX. PELLA, *Macedoniæ.*

... CAES. ANTONINUS... *Marci Antonini* caput laureatum.

COL. JUL... PELLA: *Apollo*, saxis insidens, sibique, superato *Marsya*, lauream dextra imponens, & sinistrâ tibiæ innitens.

De *Marco* diximus ad 109 N.

Pella (sic παρὰ τοῖς πέλλας τοῖς λίθοις, h. e. fuscis sive nigris saxis. *Ulpianus*, ad Orat. de Fals. Legat.) *Bunomos* olim, tandemque colonia *Julia* & *Augusta*, dicta; nempe à *Iulio Cæsare* & *Augusto* deducta: post *Edessam Macedonum* sub *Philippo* nobilis regia; in *Æmathia*, inter *Berrhœam* & *Larissam*, & inter ostia fluminum *Erigonii*, & *Ludiæ*, ad intimum *Thermaïci* sinus recessum & *Axium* flumen, in tumulo paludibus cincto sita, atque ita *Oppiano* (2 lib. de Venation.) excelsa & benemunita. Videatur & *Strabo.* Excerpt. 7 lib. 228 pag. *Livius*, 44 lib. 46 cap. *Plinius*, 4 lib. 10 cap.

Gloriabatur hæc alumnis *Alexandri* & *Philippi*, *Macedonum* regibus, hoc *Asiæ*, illoque *Græciæ* domitore. *Mela*,

 2 lib.

2 lib. 3 cap. quinetiam cineribus *Euripidis*, poëta Tragici. *Suidas.* Circa hanc prata paſcendis equis & bubus ampliſſima, & fertiliſſima; unde ejus equos à *Gratiano* vidimus laudatos, 106 pag.

Denique & juxta eam (de vicina *Theſſalia* ſerpentibus abundante videas 2 pag. ſuperius) ſerpentes alebantur cicures. *Lucianus*, Pſeudomant. 751 pag. Hodiè *Janiza*, vel ut alii, *Palatiſia* vocitatur; ubi quotidiè adhuc marmora & ædium ſuperborum effodiuntur diffracta fundamina.

Sed eſt alia *Cœleſyriæ*, (una quatuor ſororum, quoque *Apamea* dicta. *Strabo*, 16 lib. 517 pag.) trans *Iordanem*, circa *Gadaram*, in regione *Decapolitana*; *Seleuci* Nicatoris opus; ab *Alexandro*, *Iudæorum* rege exciſa: verum reſtituta à *Pompeio* Magno; qui eam, *Iudæis* ademptam *Syris* attribuit. *Ioſephus*, Antiq. *Iud.* 13 lib. 23 cap.

Hæc à *Macedonica* nomen habet: *Macedonum* enim plurimi, qui militaverant in *Aſia*, hîc ſedem fixêre, & oppidis *Syriacis* patria nomina impoſuêre. *Strabo*, lib. & pag. cit.

Apollinis de *Marſya* ſatyro triumphantis hiſtoriam jam ſuperius ad 72 numiſma attigimus. Hunc verò inter electiſſimas operis antiqui ſtatuas exhibet *Galeria Iuſtiniana*, (1 Tom. 59 fol.) dextrâ cultro armata, & lævâ detractam pellem ſuſtinente: quin & mox, 60 pag. ipſum ſatyrum arbori alligatum, & miſerè excoriatum.

Hujus autem fabulæ fidem mirè fulcit platanus ex qua pependit *Marſyas*; quæ in *Aulocrene*, *Phrygiæ* regione, oſtendebatur. *Plinius*, 16 lib. 44 cap. ſicut & ipſius Satyri pel-

pellis in utrem formata, *Celænis* in foro suspensa. *Herodotus*, in *Polymn.* 26 cap.

Tibiæ, sive fistulæ *Marsyæ* meminit *Ovidius*, 6 Metam. 386 vers. & 6 Fastor. 701 vers. Quæ, post adversum satyri casum, ab amne *Marsya* in *Mæandrum*, deinde in *Asopum* est delata & in agrum *Scyonium* ejecta. Ubi eam pastor quidam sustulit, & in *Apollinis* vicino fano dicavit. *Pausanias*, in *Corinth.* 194 pag.

Fiebat illa plerumque è cicuta, arundine, vel avena, septem calamis dispari magnitudine cerâ junctis; nam de ea sic (præter *Virgilium*, 3 eclog. 25 vers. & 2 eclog. 36 vers.) *Tibullus*, 2 lib. 5 eleg.

Fistula, *cui semper decrescit arundinis ordo*,
Nam calamus *cerà jungitur* usque minor.

Saxa, sive scopuli vel rupes *Pellæ*, excelsum situm significant.

Denique de *Latina* inscriptione in numismatibus Græcis ad 122 N. abundè scripsimus.

C X X X I.

IMP.CAES.M A.... VG.: *Elagabali* lauro cinctum caput.

COL. JUL. AUG. PELLA: *Apollo* saxis insidens, similiter tibiæ innitens, & sibi lauream imponens.

De *Elagabalo* jam superius ad 88 N.

De *Pella* modò satis.

De *Apolline* quoque pluries; quem juvenem & imberbem plerunque finxêre Veteres. *Callimachus*, hymn. *Apoll.* 36 vers. cui, sicut & *Bacchο*, juventam tribuêre perpetuam. *Tibullus*, 1 lib. 4 eleg.

Solis perpetua est Baccho Phæboque *juventa*;
Nam decet intonsus crinis utrumque deum.

Assyriorum tamen quidam eum barbatum fecêre, *Græcos* cæterosque, qui eum imberbem fingerent, vituperantes: perinde atque juvenilis forma sit aliquod argumentum imperfectionis, quæ procul à diis amovenda. Videas *Lucianum*, de dea *Syria*, 677 pag.

CXXXII.

CAES. M. AUR. SEV. ALEX. . . . . *Alexandri* laureatum caput.

COL. IUL. AUG. PELLA: *Apollo* saxis insidens, capitique lauream imponens.

De *Alexandro* superius ad 91 N.

De *Pella* modò.

CXXXIII.

IMP. CAES. MAXIMINUS AUG. *Maximini* laureatum caput.

COL. JUL. AUG. PELLA: Genius urbis sedens, velatæ mulieris habitu, Securitatis specie.

Iulius Maximinus Thrax, pastor, in prima pueritia, sub *Thraciæ* montibus, occiso à militibus *Alexandro Severo*, absque S. C. Augustus est dictus. Corporis magnitudine conspicuus, sed crudelis in omnes, agrestis, superbus, & protervus; adversus *Germanos* tamen, in ipsis paludibus, prosperè dimicavit. At, propter scelera, à Senatu judicatus hostis, juxta *Aquileam* (quam obsidione cinxerat) in-

in castris, unà cum filio, quiescens in tabernaculo est interemptus. *Capitolinus*, 23 cap. *Herodianus*, 8 lib. 5 cap. *Eutropius*, 9 lib. 1 cap.

De velatis urbium geniis ad 23 N.

CXXXIV.

IMP. C. ANT. GORDIANUS AUG. *Gordiani* tertii radiatum caput.

COL. IUL. AUG. PELLA: *Apollo* saxis insidens, capiti lauream imponens dextra, pedumque retinens sinistra.

De *Gordiano* hoc superius ad 92 N.

Apollo pastorale pedum gestat hîc, ut in 72 N. At ille Nomius appellatur, non adeò ex officio pastorali, quam quod *Sol* omnia pascat quæ terra progenerat. *Macrobius*, 1 lib. 17 cap. Unde opinio *Æthiopum* forte fluxit de mensa *Solis*. Videas *Herodotum*, in *Thalia*, 17 & 18 cap.

CXXXV.

IMP. CAES. .... PHILIPPUS: *Philippi* laureatum caput.

COL. IVL. AVG. P.... *Apollo* saxis insidens, capiti lauream imponens dextra, pedumque pastorale gerens læva; apposita quoque tibia.

De *Philippo* scriptum ad 95 N.

De *Apolline* sæpius hic & alibi. Dii autem & deæ ferè semper nudi sculpuntur; nec alii, nisi qui diis comparantur. Geniis enim & Spiritibus nihil impudicum aut visu fœdum; sed cuncta sancta & adoranda: quemadmodum ad *Tranquillinæ* N. 45 pag. docet *Oth. Sperlingius*.

TABULA VIGESIMA TERTIA.

CXXXVI. SAMOS, *Joniæ.*

ΑΥΤ. Κ. ΠΟ. ΛΙΚΙ. ΓΑΛΛΗΝΟΣ. Imperat. Cæſ. *Publius Licinius Gallienus* : *Gallieni* lauro redimitum caput.

ΣΑΜΙΩΝ. *Samiorum* : *Juno Samia*, tæniis, orbiculis, & tutulis ſive calathis, mirè exornata & velata, pateras utraque manu tenens, & utrinque nodoſis ſcipionibus (anchoris, ut ad *Commodi* N. 737 pag. *Triſtanus*) ſuffulta.

Publius Licinius Gallienus, imperatoris *Valeriani* filius, cujus (dum à *Gallia* ſtrenuè *Germanos* arcet) initia præclara. Verùm patre, apud *Perſas*, in vinculis conſeneſcente, paterno jugo cervicibus excuſſo, vino & mulierculis ſe totum tradidit; atque ſic orbem terrarum, poſt 15 regiminis annos, voluptatibus perdidit, ipſeque à ſuis, circa *Mediolanum*, trucidatus eſt. *Treb. Pollio*, 14 cap. *Victor*, 33 cap.

Samus, libera *Plinio*, 5 lib. 31 cap. *Joniæ* illuſtris inſula, contrà *Ephesum* ſita in mari *Ægæo*; urbe gaudens cognomine. Eam nobilitavit *Polycrates* ille tyrannus, felix, niſi miſerabilis exitus hunc titulum prorſus obſcuraſſet. *Herodotus*, *Thal.* 125 cap. *Strabo*, 14 lib. 439 pag. *Cicero*, Finib. 5 lib. 30 cap. *Val. Maximus*, 6 lib. 9 cap. 5 exemp. Ext. & *Pythagoras*; de quo mox uberius. Celebrata quoque ipſa *Samiorum* terra, apud *Medicos*. *Nicander*, in Alexipharm. imò & apud figulos; docente *Plinio*, 35 lib. 12 cap. Hinc *Auſonius*, 8 epigr.

Fama

Fama est fictilibus cænasse Agathoclea *regem*,
Atque abacum Samio *sæpè onerasse* luto.

Samii denique litterati per ignominiam dicti; h. e. stigmate notati. Deficientibus enim civibus, *Samii* servos suos, stigmate plerunque notatos, in civium numerum, & reïpublicæ administrationem recipere fuêre coacti. *Suidas*, & *Aristoteles*, in Rep. *Samiorum*. Videas *Lud. Nonnium* ad *Goltz. Græc.* Inf. 2 Tab. 252 pag.

Samiorum numismati pavo (*Iunonia* ales) vulgo insculpta. *Iul Pollux*, & *Athenæus*, 14 lib. 655 pag. ea etenim (*Samia* genitrix *Iuvenali*, 16 sat. 6 vers.) ibidem sub vitice, juxta flumen *Imbrasum*, nata. *Pausanias*, *Achaïc.* 106 pag. sic ibidem culta, & honorata. *Cicero*, 1 *Verrin.* 20 cap. iterumque 4 *Verrin.* 32 cap. *Diogen. Laërtius*, in *Periandr.* &c. Unde de *Carthagine Virgilius*, 1 *Æneid.* 15 vers.

Quam Juno *fertur terris magis omnibus unam*
Posthabita coluisse Samo.

Colit autem hanc specie *Lunæ* falcatæ: quocirca & illa *Diana* dicta; monente *Donato* in *Terent. Andriæ* 3 act. 1 sc. cujus templum ab *Argonautis* conditum; qui tamen deæ simulacrum *Argos* abduxêre. *Pausanias*, lib. & pag. cit. Templi antiquissimi meminit, *Varronem* excerpens, *Lactantius*, 1 lib. 17 cap.

De tutulis, turritisque coronis, superius ad 45 & de modio sive calatho ad 104 N.

CXXXVII.

CXXXVII.

ΙΟΛΙΑ ΜΑΜΕΑ ΣΕΒ. *Iulia Mamea* Augusta: *Mamææ* caput.

ΣΑΜΙΩΝ. *Samiorum* : Juvenis nudus venabulo aprum oppugnans.

Iulia Mamea, *Iuliæ* Mæsæ filia, *Iuliæ Soëmiadis* soror, *Alexandri* vero *Severi* pia mater; fœmina sancta, prudens, imperatori filio feliciter imperans, ac remp. tranquilliter gubernans: verum ad res novandas pronis militibus exosa, in *Germania*, ad Rhenum, est interempta. *Lampridius*, 60 cap. *Herodianus*, 6 lib. 6 cap.

Juvenis ille *Meleager* est, *Ætolus* heros, apri *Calydonii* interfector, cujus meminêre *Homerus*, 9 *Iliad* 166 pag. *Diodorus*, 4 lib. 34 cap. *Ovidius*, 8 Metam. *Hygin.* 174 Fab. Anton. *Liberalis*, Metamorph. 2 cap. Spectatur enim, eodem modò, ingentis apri impetum venabulo excipiens in antiquis marmoribus, apud *Iac Sponium*, Misc. erudit. 9 sect. 312 pag. & *Pighium*, in scedis Mss. & describitur apud juniorem *Philostratum*, Icon. 861 pag. verbis hisce: *sinistro* (dextro in numismate) *pede se ipsum in procinctu fulciens* Meleager, *& gressum obfirmans*, *securè impetum apri excipit lancea sustentatus.* & *Ovidium*, lib. cit. 419 vers.

Vulneris author adest, hostemque irritat ad iram,
Splendidaque adversos venabula condit in armos.

Spanhemius tamen, *Harduinum* sequens, in epist. ad *Begerum*, signari potius Imperatorem aliquem, *Romanum* in hisce

hisce *Samiorum* nummis arbitratur. Verum deceptus, me judice, ab *Ephesiorum* numismate; in quo telo transfixus aper non *Gordiani* prosperam venationem, sed certò certius *Ephesiorum* primam originem significat; uti apud *Harduinum*, ex *Athenæo*, annotatum invenimus, & superius scriptis ad 35 N. immiscuimus.

Lancea verò, qua *Meleager* aprum trajecit, ab eo in *Apollinis* templo reposita, religiosè conservata est. *Pausanias*, in *Corint.* 194 pag. qui (præter *Callimachum*, hymn. *Dian.* 220 vers.) apri corium, præ vetustate jam putre, & setis undique nudatum; quin & dentes apud *Arcades* servatos, & inde ab *Augusto Romam* devectos, memorat, in *Arcad.* 329 pag.

Nummus hic JOH. PAIN, inter alios ab hoc in mediterraneo mari summæ industriæ Navarcho mihi oblatos, munus est elegantissimum.

CXXXVIII.

Μ. ΩΤΑΚΙΛΙΑ ΣΕΥΗΡΑ ΣΕΒ. *Marcia Otacilia Severa* Augusta: *Otaciliæ* facies.

ΣΑΜΙΩΝ. *Samiorum*: Fœmina tunicata, succincta, dextrâ exertâ, lævâ clypeum tenens, festinans, & pede navis rostrum calcans.

Marcia Otacilia Severa Philippi imperatoris fuit uxor; *Philippi*que Agelasti (h. e. *severi & nunquam ridentis*) mater; quam *Christum* coluisse, unà cum marito, narrant ævi posterioris Annalium scriptores.

Mulier hæc *unomammia* (cum *Plauto* loquimur) non est *Juno Martialis*, ut opinatur *Patinus*, 414 pag. ad *Gal-*

lieni N. neque etiam *Admeta*, *Junonis* ſacerdos, *Tyrrhenos* ſacrilegos inſequens; ut exiſtimat *Harduinus*, ad *Gallieni* N. Add. 586 pag. lib. ſæpiſſimè citati: verum Amazon arma *Liberi* Patris, ſive *Bacchi*, fugiens. Dictat hoc *Plutarchus*, Græcar. 56 Quæſt. ubi docet locum fuiſſe apud *Samios*, qui Πάναιμα (h. e. *totus ſanguis*) ab incolis vocaretur; narrans interea Amazones quondam (quando, quinimò & quare hæc acta non addit author) *Bacchum* fugiſſe, ex *Epheſia* ditione in *Samum* evaſiſſe: eum navibus conſtructis transfretaſſe, conſertoque prælio multas fœminas eo in loco concidiſſe; morientiumque è vulneribus ingenti ejulatu *Phlœum*, vicinum montem, diſruptum fuiſſe.

Obſervamus enim

1. Collectos in nodum crines, quales *Phædræ* attribuit *Seneca*, *Hippol.* 401 verſ.

Nodo comas
Coëgit, *emiſitque*, *lunatâ latus*
Protecta pelta.

quales & apparent in effigie Amazonis elegantiſſima, apud *Ioh. Angel. Caninium*, Iconograph. 39 pag. qualeſque & paſſim in Nummis conſpiciuntur apud *Petr. Petitum*, Diſſ. de Amazonibus, 289 pag. aliiſque.

2. Exertam mammam dextram; quæ non admoto igne (ut hactenus cum *Hippocrate*, lib. de Aëre, Loc. Aq. *Strabone*, 11 lib. 347 pag. *Euſtachio*, ad *Dionyſ.* &c. creditum eſt) abſumpta; ſed ab Amazonibus minor reddita. *Arrianus*, Exp. 7 lib. 469 pag. fortè faſciis & vinculis; ut & medica-

dicamentis, qualium meminit *Galenus*, de fimpl. Medic. facult. 22 cap. nempe ne nervo fagittas excutientibus effet impedimento. *Justinus*, 2 lib. 4 cap. vel potius ut conversa nutritione brachio dextro major firmitas & robur accedat. *Hippocrates*, loc. mod. cit *Galenus*, comment. ad *Hippocratis*, 7 sect. 43 aphorism. Sic mammæ meminit *Virgilius*, 1 *Æneid*. agens de *Penthesilea*, 492 vers.

> *Aurea subnectens* exertæ *cingula* mammæ
> *Bellatrix*.

& 11 *Æneid. Camillam* sauciatam describens, 803 vers.

> *Hasta sub* exertam *donec perlata* papillam
> *Hæsit*, *virgineumque altè bibit acta cruorem*.

Videas *Petitum*, 22 cap. 143 pag.

3. Habitum virilem, & expeditum, de quo & *Arrianus*, loc. modò cit. fuccinctum; qualem *Veneri* quoque adscribit *Virgilius*; cui ea, 1 *Æneid*. 320 vers.

> Nuda genu, *nodoque sinus collecta fluentes*.

respicias Amazonis in *Mathei* palatio positæ simulacrum apud *Petitum*, 135 pag. alteriusque effigiem apud hunc 238 & 272 pag.

4. Clypeum, sive peltam; quæ rombiformis *Pausaniæ*, in *Attic*. 156 pag. *Plutarcho*, in *Thesei* vit. 19 pag. *Suidæ*, &c. hederæ folio similis *Polluci*, 1 lib. è *Xenophonte*. lunata vero *Senecæ*, loco superius cit. & *Virgilio*, 1 *Æneid* 490 vers.

Ducit Amazonidum lunatis *agmina* peltis
Penthesilea *furens.*

Hinc *Statius* Amazonum catervam vocat *agmen lunatum*, 5 *Theb.* 144 vers. hoc modo:

Amazonio Scythiam *fervere tumultu*,
Lunatum*que putes agmen descendere.*

Videatur & *Plinius*, 12 lib. 5 cap. ubi de ficu *Indica.*

Rostra bellicis ac militaribus navibus tantum imponebantur; & hæc ærea. Namque sic de navi *Argo Valer. Flaccus*, 1 lib. 687 pag.

Volat immissis cava pinus habenis,
Infinditque salum, & spumas vomit ære tridenti:

& *Horatius*, 2 lib. 16 od.

Scandit æratas *vitiosa* naves
Cura.

quibus hostiles naves gravissimè vulnerabant. Docet hoc *Silius*, B. *Punic.* 14 lib. 619 pag.

Aliæ per viscera pinus
Transmissis *ipso retinentur vulnere* rostris
Quo retinent.

Sed de hisce, cæterisque antiquarum Navium armis & ornamentis imprimis videatur NIC. WITZEN, Reip. *Amstel.* venerandus Consul, eruditionis qualiscunque egregius *Mecænas*, lib. de Re Navali, 2 cap.

Hic autem (quemadmodum & sequens, & 148) Nummus Gazophylacio accessit liberalitate laudatissimi viri JOH.

JOH. CALKOEN, Jurisconsulti; qui 17 annorum spatium apud *Smyrnenses*, aliosque minoris *Asiæ* populos, honestissime transegit.

CXXXIX.

ΦΟΥΡΙΑ ΣΑΒΙΝΑ ΤΡΑΝΚΥΛΛΙΝΑ ΣΕ. *Furia Sabina Tranquillina* : *Tranquillinæ* vultus.

ΣΑΜΙΩΝ. ΠΥΘΑΓΟΡΗΣ. *Samiorum. Pythagoras:* Philosophus seminudus, sedens, læva retinens sceptrum, dextra verò radium, quo cœlestem globum, columnæ impositum, tangit.

De *Tranquillina*, *Gordiani* conjuge, scripsimus ad 117 N.

Pythagoras, Thuscus Laërtio, verum *Syrus Porphyrio*, gemmarum sculptoris filius, *Italicæ* (sicut *Ionicæ Thales Milesius*) philosophiæ fuit princeps; *Samo* oriundus; in *Ægyptum*, *Babyloniam*, multasque regiones sese contulit, ut eorum sacros ritus, moresque cognosceret; siderumque cursus, istorumque in homine miros effectus, edisceret. *Isocrates*, laud. *Busir.* 392 pag. *Diog. Laërtius*, 8 lib. 1 cap. Postea *Samum* à tyranno *Polycrate* (de quo 182 pag.) afflictam offendens, *Crotonam*, in ultima *Italiæ* ora non ignobilem urbem (de quâ 83 pag.) petiit, ibique, *Romæ* regnante *Servio Tullio*, juvenum æmulantium studia cætus habuit. *Livius*, 1 lib. 18 cap. *Solinus*, 21 cap. Denique *Metapontum* commigravit; ubi diem obiit supremum, sive voluntaria, sive ab invidis *Crotoniatis* illata morte : immane etenim apud *Laërtium*, scriptorum differunt opiniones. Hic autem discipulis quinquennale

silentium imposuit; cujus &, (præter *Apuleium*, 1 Florid. 351 pag. *Gellium*, 1 lib. 9 cap. innumerosque alios) meminit *Claudianus*, de cons. *Mall. Theodor.* 157 vers.

> *At non* Pythagoræ *monitus*, *annique* silentes
> *Famosum* Oebalii *luxum pressère* Tarenti.

Docebat autem præsertim transmigrationem animarum: quam & Metamorphosi suæ jucundè inserit *Ovidius*, 15 lib. 158 vers. philosophum hoc modo perorantem inducens:

> *Morte carent animæ: semperque, priore relicta*
> Sede, *novis domibus vivunt*, *habitantque receptæ*.

Sed videas, aliis neglectis, *Lactantium*, 7 lib. 8 & 12 cap. & *Augustinum* de Civit. Dei, 10 lib. 30 cap.

De auditate deorum, & consecratorum hominum diximus ad 135 N. Adeo enim colebatur interempti memoria, ut & *Metapontini* illius domum *Cereris* delubrum vocarent, vicumque *Musis* consecrarent. *Laërtius*, lib. cit.

Denique hîc virga globum tangit astriferum: quia stellæ *Veneris* (quæ modò diem maturans *Lucifer*, modò lucem prorogans *Vesper*) naturam primus deprehendit. *Plinius*, 2 lib. 8 lib. & à terra ad *Lunam* 126 millia stadiorum esse, ab ea ad *Solem* duplum, indè ad 12 signa triplum primus collegit. Idem *Plinius*, 2 lib. 21 cap.

CXL.

ΑΥΤ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΔΕΚΙΟΣ. Imp. *Trajanus Decius*: *Decii* lauro revinctum caput.

ΣΑ-

ΣΑΜΙΩΝ. *Samiorum*: *Pythagoras* ſtans, ſeminudus, à ſiniſtris pallio involutus, exerta dextra virgam ſive radium tenens.

Cn. Meſsius Quinctus Trajanus Decius, à militibus *Illyricianis* imperator factus, à *Senatu* dictus eſt Auguſtus. Nomen Optimi Principis meruit, bonitate *Traiano* ſimilis, & in omnibus laudandus, ſi à *Chriſticolarum* ſuppliciis abſtinuiſſet. Eum cum *Gothis*, *Moeſiam Thraciamque* infeſtantibus *acriter dimicantem*, *equi lapſu proſtratum*, *quem ferventem retinere non valuit*, *abjectumque in paludem nec emergere potuiſſe*, *nec inveniri* tradit *Ammianus*, 31 lib. 14 cap. Confer hiſce quæ *Victor*, Epit. 44 cap.

De *Pythagora* modò.

CXLI.

ΣΑΛ. ΧΡΥΣΟΓΟΓΟΝΗ. ΣΕ. *Salonina Chryſogogone* Auguſta: *Saloninæ* facies.

ΣΑΜΙΩΝ. *Samiorum*: Mulier ſeminuda, ambabus manibus arculam, niſi fallat Nummus, retinens.

De *Salonina*, *Gallieni* conjuge, diximus ad 123 N. in quo *Chryſogones* cognomen etiam legitur, cujus interprætationem videas apud *Patinum*, 415 pag.

Nuda mulier eſt *Admeta*, *Eurythei* filia; quæ *Argis* profuga, & *Samum* ſoſpes appulſa, ut *Iunoni* gratiam referret, templi perpetuam ſuſcepit curam. *Argivi* verò, fugam vindicaturi, deæ ſimulacrum rapuerunt, ut ſic ſacerdotem *Samiis* redderent exoſam. Verum, ventis adverſantibus abitumque negantibus, exportatam rurſus è navi ſtatuam

in

in littore depoſuêre. Ubi à *Samiis* repertam *Admeta* vinclis expedivit, & in ſedem reſtituit. Videas *Athenæum*, 15 lib. 672 pag.

Arcula ergò illà fortaſſe *Iunonis* imago recepta, manibus non niſi puris attingenda, tegitur.

TABULA VIGESIMA QUARTA.

CXLII. SMIRNA, *Joniæ*.

ΣΜΥΡΝΑ. *Smyrna:* Amazon turrita, & ſecurigera; colligatis capillis, & exerta mamma.

ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Smyrnæorum:* Pars navis roſtratæ.

De Turritis urbium geniis obſervata dedimus ad 69 N.

De mamma exerta Amazonum, ut & de collectis in nodum crinibus, ad 138 N.

Securis *Penthesileæ* Amazonis inventum. *Plinius*, 7 lib. 56 cap. & proprium geſtamen: teſtibus innumeris numismatibus apud *Petitum*, cæteroſque: præter *Senecam*; qui ſic, Agamemn. 217 verſ.

> *Non picta pharetras*, & ſecurigera *manu*
> *Peltata Amazon.*

& *Ovidium*, 3 Pont. 1 eleg. ad uxorem.

> *Nec tibi Amazonia pro me ſumenda* ſecuris,
> *Aut exciſa levi pelta gerenda manu.*

Sed videantur *Horatius*, 4 lib. 4 od. *Virgilius* 11 *Æn.* 651 verſ. *Claudianus*, 2 Rapt. 66 verſ. &c.

In-

Interim nummus hîc exhibet *Smyrnam* Amazonem, quæ nomen urbi dedit. *Strabo*, 11 lib. 348 pag. *Stephanus*, in *Smyrn.* quæque etiam ſpectatur turrita, ſuccincta, peltata, ſecurigera, & exerta dextra templum ſuſtinens, in *Gordiani* N. apud *Petitum*, 238 pag.

Eſt autem *Smyrna* paralia urbs *Joniæ*, ſita partim in monte, partim in planicie, cum portu capaci & tuto, in *Ægæi* maris & *Smyrnæi* ſinus ora: de cujus conditoribus admodum contendunt veteres. *Strabo*, 14 lib. 444 pag. Saltem, *Philoſtrato* judice, omnium, quæ ſub ſole ſunt, urbium ea pulcherrima. Erat verò vetus & nova. Novam namque condidit (ſaltem priſcam dirutam reſtituit) *Alexander*, *Aſiæ* domitor. *Plinius*, 5 lib. 29 cap. *Pauſanias*, *Achaïc.* 108 pag. Hodiè adhuc civitas primaria, commerciis celeberrima: licet nuper, 1689, terræ motu miſerè concuſſa.

Hæc *Homerum* vatem ſibi vindicabat acerrimè; ſepulcrum, templum, & ſtatuas ipſius oſtentans. *Varro.* Quin & æreum quoddam numiſma *Homericum* appellans. Hinc *Homerus* non tantum *Smyrnæus Lucano* (9 lib. 984 verſ.) ſed & de eo ſic *Statius*, 3 Sylv. Lachrym. *Etruſc.* 60 verſ.

> Smyrna *tibi gentile ſolum, potusque verendo*
> Meles.

Ejus autem templi, in oppido dedicati, meminêre *Cicero* pro *Arch.* poët. 8 cap. *Strabo*, cit. lib. & pag. Ille enim deus priſcis habitus. Unde *Silius Scipionem*, illuſtrium virorum manes apud inferos luſtrantem, hoc modo de *Homero* rogantem; 13 lib. 369 pag. introducit:

Quis vultus? quem, si Stygiâ *non esset in umbra,*
Dixissem facilè esse deum.

Verum de *Homeri*, ut & *Pythagoræ*, simulacris adoratis respiciantur *Augustinus* & *Carolus Magnus*, apud CUPERUM, pluries laudatum.

Navis anterior pars, (quæ plerunque Amazonibus in *Smyrnensium* N. N. apponitur, ex gr. in *Gordiani* apud *Petitum*, 238 pag.) potentiæ maritimæ est symbolum; sicuti ad 71 N. superius demonstravimus.

Quippe *Smyrna* Naucratis & Ναύαρχος, æquè ac *Phœniciorum Sidon* atque *Dora*; quæ, in *Traiani* & *Hadriani* nummis, hac appellatione superbiunt apud *Spanhemium*, 779 pag.

Sed præsertim veteris est signum victoriæ, quam *Smyrnæi* (luxui quidem ac deliciis maximoperè dediti, verum ubi casus urget, ad arma fortiter & alacriter properantes) de *Chiis*, urbem volucri classe subitò invasuris, retulerunt. *Aristides*, in gratulat. *Smyrnæâ*, præsente *Commodo* habit. 473 pag. Ideoque & primo vere, festis *Dionysiacis*, *Baccho* sacra triremis per forum circumlata. Idem, 1 tom. orat. in *Smyrnam*, 402 pag.

CXLII.

Fœminæ caput turritum intra lauream.

ΣΜΥΡΝΑ. ΝΙΚΑ ΔΙΟΣ. *Smyrna*. Victoria *Jovis*: Amazon stans, læva tenens victoriæ sigillum, dextraque hastam.

Fœmina hæc, capillis in nodum contortis formosa, iterum

rum *Smyrna* eſt Amazon, à qua, quemadmodum diximus, antiquior *Smyrna* fundata, & cognominata.

Amazon, victoriæ ſignum retinens, recentiorem, & ab *Alexandro*, *Iovis* filio, victoriis *Aſiaticis* ſuperbiente, conditam ſignificat. Multoties enim *Iupiter*, Victorias ipſius indicans, apparet in numismatibus apud *Goltz*. Græc. 32 Tab.

C X L I V.

ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ. Sacer *Senatus*: Caput juvenile veſte tectis humeris, erectis in fronte crinibus.

ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Smyrnæorum*, ter ſacrarum rerum curatorum: *Fortunæ*, cornu copiæ læva & navis gubernaculum dextra retinentis, in æde tetraſtylo poſitum ſimulacrum.

Quemadmodum, in numismatibus urbium ſubjugatarum *Roma* dea; ſic & in iiſdem *Senatus Romanus* occurrit divus, & *ſacer*; ſicut à *Iuvenale* appellatur, 11 ſat. 28 verſ.

Sive
Conjugium quæras, *vel* ſacri *in parte* Senatus
Eſſe velis.

cui & addas *Claudianum*, qui, 6 conſ. *Honor.* paneg. præfat. *deos* vocat Senatores:

En, *quales memini*, *turba verenda*, deos.

quinimò, titulo ſimili, *Carthaginenſium* Senatum laudat *Virgilius*, 1 *Æneid.* 426 verſ.

Iura magistratusque legunt, sanctum*que* Senatum.

Unde apud *Tacitum*, 4 Ann. 15 cap. civitates *Asiæ* certant de statuenda sacra æde *Tiberio*, matrique ejus, ac *Senatui*: in quo certamine tandem prælatos *Smyrnæos* testatur lib. cit. 56 cap. Cujus victoriæ memoriam conservat, inter alios, & hic nummus.

De hoc verò plura *Spanhemius*, 5 Differt. 412 & seq. pag. qui quoque, 368 pag. de coma surrecta, & cirro torto, more cornu; quod veteribus splendoris & potentiæ symbolum: sicut ad 23 N. supra observavimus.

De *Fortuna* copiosè ad 115 N.

De Neocoris ad 14 N. *Smyrna* verò conspicitur speciatim simpliciter Neocoros in *Augusti*, apud *Goltzium*, 49 Tab. secundò in *Iul. Domnæ*, apud *Harduinum*, 468 pag. & tertiò in hoc nostro, plurimisque aliis, apud *Patinum*, *Tristanum*, & *Harduinum*.

CXLV.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙ ΤΥΤΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑ. *Domitianus* & *Tytus* imperatores: *Domitiani* & *Titi*, fratrum, laureatorum, capita adversa.

ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΕΡΜΟΣ. ΕΠΙ ΒΟΛΑΝΟΥ. *Smyrnæorum*. *Hermus*. Sub *Bolano*: Senex seminudus, recumbens, urnæ innitens, altera cornu copiæ & altera manu spicas retinens.

De *Domitiano* dictum ad 103 N.

De *Tito* verò ad 125 N.

Her-

Hermus minoris *Asiæ* est fluvius, juxta *Dorylæum*, *Phrygiæ* oppidum, exoriens, auctus *Pactolo*, *Smyrnæ* campos rigans, tandemque in sinum *Phocaïcum* sese exonerans. *Solinus*, 53 cap. suopte ingenio ferax argenti, sed, aurifero *Pactolo* in eum delapso, nobili hoc metallo eleganter flavescens. Unde *Silius*, 1 B. *Punic.* 17 pag.

> Mœonium *non ille vadum, non* Lydia *mallet*
> *Stagna sibi, nec, qui riguo perfunditur auro,*
> *Campum, atque illatis* Hermi *flavescit arenis.*

Verum de auro ipsius quoque *Virgilius*, 2 Georgic. 137 vers.

> *Nec pulcher* Ganges, *atque auro turbidus* Hermus
> *Laudibus* Italiæ *certent.*

Statius, 1 sylv. vill. *Tiburtin. Manl. Vopisci*; 106 vers.

> *Cujus stagnantia rura*
> *Debuit*, & *flavis* Hermus *transcurrere ripis.*

denique *Martialis*, 8 lib. 78 epigr.

> *Non illi satis est turbato sordidus auro*
> Hermus, & Hesperio *qui sonat orbe* Tagus.

Porro fluvios depingunt prisci senes, quod ab orbe condito flumina duxerint originem; per hydrias verò notant fontes; sicut per copiæ cornu fertilitatem vicinorum camporum, ab his irrigatorum; & per additam subinde scapham navigabile flumen: denique per aristam, plantam, florem, fructumve, eorum in ripis ubertatem & copiam.

Urnæ meminit *Statius*, *Inachum* fluvium *describens*, 6 Theb. 273 verf.

Pater ordine juncto
Lævus *arundineæ* recubans*que sub aggere ripæ*
Cernitur, *emissæque indulgens* Inachus urnæ.

Bolani prætoris nomen occurrit etiam in *Vespasiani* nummo *Smyrnensi*, apud *Tristanum*, 291 pag. cujus fortè, sub *Nerone*, acta bellica laudat modò citatus *Statius*, 5 Sylv. protrept. ad *Crispin.* ipsius filium: en ejus verba!

Rigidi summam Mavortis *agebat*
Corbulo, *sed comitem belli*, *sociumque laborum*
Ille quoque egregiis multum miratus in armis
Bolanum, *atque illi curarum asperrima suetus*
Credere, *partirique metus.*

& quæ sequuntur elegantissima.

Videas autem de hoc *Vettio Bolano*, consule etiam, *Tacitum*, 15 Annal. 3 cap. & alibi.

CXLVI.

..... ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ...... *Antoninus*: *Caracallæ* laureatum caput.

ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ Γ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ. ΕΠΙ ΣΤΡ. ΑΙΛ.... ΣΑΛΩΝΙΩΝ *Smyrnæorum*, ter sacr. curatorum, Primorum *Asiæ*, sub Prætore *Ælio*... *saloniorum*: Tria templa.

De *Caracalla* scriptum ad 89 N.

Civitatum oppidorumque extra *Italiam* (stante imperio Romano) celebrior erat vel Metropolis vel Prima.

Me-

Metropolis non semper illa quæ aliis oppidis, eo scilicet colonis missis, dedisset originem; sed quæ conventus forenses habebat, & cui cæteræ totius provinciæ civitates parebant. Sic *Ephesus* in *Asia* *Μητροπόλεων* Prima apud *Ulpianum*, 1 lib. Digest. 16 tit. de offic. proconf. 4 leg. cui tamen postea *Smyrna*, ob magnitudinem & elegantiam templi *Hadrianæi*, est prælata. De qua Primatu in eadem provincia inter civitates æternæ lites, *Senatu* vocabulum hoc ab una ad aliam transferente. *Aristides*, de *Smyrna* & *Epheso*, disceptantibus in *Asia*: *Dio Prusæus*, de *Nicæa* ac *Nicomedia*, contendentibus in *Bithynia*: locc. suprà citt.

Ita Primi

1. *Amaseni* regionis *Ponti*, in *M. Aurelii*, apud *Harduinum*, 32 pag.
2. *Nicænses* totius provinciæ *Bithyniæ*, amisso Metropolis titulo, in *Domitiani*, apud *Tristanum*, 334 pag.
3. *Nicomedienses Bithyniæ*, in *Domitiani*, apud *Patinum*, 165 pag.
4. *Mytilenæi Lesbi*, in *Gordiani*, apud *Seguinum*, 18 pag.
5. *Smyrnæi Asiæ*, in Sacri *Senatus*, apud *Spanhemium*, 412 pag.
6. *Sardi Mæonum*, h. e. *Lydorum*, in *Jul. Mameæ*, apud *Harduinum*, 439 pag.
7. *Ephesii Asiæ*, in *Valeriani*, apud *Tristanum*, 3 T. 18 pag.
8. Denique *Tripolitani Tyriorum*, *Sidoniorum*, atque *Aradiorum* regionis, in *Marc. Antonii* Triumviri, apud *Goltzium*, 38 Tab.

Smyrnæi ergo Primi in *Asia*, & tertium Neocori Augustorum;

rum; *Caracallæ* ſcilicet, & *Getæ*, patriſque *Severi* ſive matris *Iuliæ*: quod ternorum σιβάστων, h. e. templorum Auguſtalium, imagine hîc demonſtrant; prorſus ut, juxta ſimilem picturam apud *Choulium*, 105 pag. ſeſe *Valeriani* imperatoris, ejuſque liberorum, ter Neocoros vocitant. Videatur *Alb. Rubenii* diatribe de Neocor. urbibus.

Strategi nomen (quod ab *Antonini* principatu paſſim, ante ipſius tempora vix ſemel in nummis occurrit) apud *Græcos* prætori, duumviro, & urbis ſummo magiſtratui tribuitur: docentibus Gloſſis, & *Modeſtino*, 27 lib. Digeſtor. 1 tit. de Excuſationibus, 15 leg. ita *Conſtantinus* Magnus, cum cunctorum eſſet dominus ac princeps, nihilominus ſeſe *Athenienſium* Στρατηγὸν appellari voluit. *Iulianus*, 1 orat. apud *Harduinum*, 21 pag.

CXLVII.

ΑΥ. Μ. ΑΥΡ. ΣΕΟ. . . ΑΛΕ. . . . . Imperat. *Marc. Aurel.* Severus *Alexander*: *Alexandri* laureatum caput.

ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ Γ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Smyrnæorum* ter ſacr. curatorum: Fortunæ ſignum, in æde tetraſtylo erectum.

De *Alexandro* dictum ſuperius ad 91 N.

De *Fortuna* verò ad 115 N.

Porrò ſicut in hiſce Fortuna, ita in cæteris *Smyrnæorum* numiſmatibus, *Nemeſis* occurrit, *Iovis* & *Neceſſitatis*, (Oceani & Noctis aliis) filia; cui in *Rhamnunte*, urbe *Atticæ* erectum templum, ſimulacro *Phidiaco* nobilitatum: quæque, *Alexandro* in ſomnis apparens, mandavit, ut novam *Smyrnam* conderet. *Pauſanias*, *Achaïc.*

109

109 pag. Videatur *Mytilenæorum* excellens nummus, apud *Seguinum*, 18 pag. in quo *Cybele*, *Phrygum* dea, media sedet inter *Æsculapium Pergamenorum*, *Isidem* sive *Hecaten Byzantinorum* præsidem; & *Dianam* multimammiam *Ephesiorum*, atque *Nemesin Smyrnæorum* conservatricem.

Tabula Vigesima Quinta.

CXLVIII. COTYAEUM, *Phrygiæ*.

Μ. ΙΟΥΛΙΟΣ ΦΙΛΙΠΠΟΣ ΑΥ. *Marc. Julius Philippus* August. junior, laureatus, pectore tenus, læva sceptrum, dextra verò tenens globum.

ΚΟΤΙΑΕΩΝ ΕΠΙ ΙΟΥΛ. ΚΟΔΡΑΤΟΥ ΥΙΟΥ ΙΠΠΑΡΧ. *Cotyæensium*. sub *Julio Quadrato*, filii *Hipparchi*: *Æsculapius* seminudus, baculo serpentifero innitens; *Salus* anguem è patera pascens; & inter eos ambulans cucullatus *Telesphorus*.

Marcus Julius Philippus erat filius *Philippi* imp. (de quo ad 95 N.) & *Otaciliæ Severæ* (cujus est 138 N.) dictus Agelastos, quod *severi & tristis animi nullo prorsus cujusquam commento ad ridendum solvi potuerit*; *patremque*, *ludis sæcularibus petulantius cachinnantem*, *vultu notaverit aversato*. Occidebatur (patre *Veronæ* perempto) *Romæ*, vitæ annum agens duodecimum. *Victor*. Epit. 43 cap. *Eutropius*, 9 lib. 3 cap.

Cotyæum Phrygiæ Epicteti, h. e. additæ, est urbs. *Strabo*, 12 lib. 396 pag. *Æsopi* fabularum scriptoris patria. *Suidas*,

in *Æsop. Constant.* Porphyrogeneta, 1 lib. 4 Them. *Cute* vel *Cutaige* hodiè dicta.

Æsculapius Apollinis fuit filius, qui, *Chironi* centauro traditus, Medicinæ studuit. *Ovidius*, 2 Metam. 630 vers. Cujus peritus, *Dianæ* precibus motus, *Hippolytum* dilaceratum vitæ restituit. 15 Metam. 533 vers. quà re *Iupiter* offensus eum fulmine interfecit. *Virgilius*, 7 Æneid. 773 vers.

Romani coluerunt eum specie serpentis. Hisce etenim, tempore pestis, in *Epidaurum Peloponnesiacum* profectis, ut *Æsculapium Romam* deportarent, serpens grandis navem conscendit; quem legati, deum rati, secum abduxerunt. *Ovidius*, 15 Metam. 695 vers. præter *Livium*, 11 lib. epitom. *Valer. Maximum*, 1 lib. 8 cap. 2 exempl.

Hinc plerunque, in nummis, gemmis, & marmoribus, anguis ambit ejus scipionem; cujus & apud *Ovidium*, cit. lib. 659 vers. numen illud meminit:

> *Hunc modò* serpentem, baculum *qui nexibus ambit,*
> *Perspice.*

Unde quoque *Statius*, 3 sylv. 23 vers. de coma *Earini*:

> *Ubi maximus ægris*
> *Auxiliator adest, & festinantia sistens*
> *Fata, salutifero mitis deus incubat* angui.

Quippe angues & serpentes quidem tristia & infausta, verum & prospera atque salutaria significasse veteribus ad 88 N. breviter observavimus.

Hy-

Hygiæa, ſive *Salus*, ejus habebatur filia; ſcilicet *Æſculapius* antiquis aër eſt, bonæ valetudinis parens. *Pauſanias Achaïc.* 177 pag. Aëris enim temperies non homini ſolummodò, ſed animalibus cunctis ſaluberrima.

Teleſphorus idem cum *Æſculapio* ſecundum *Pauſaniam*, qui ſic ejus idolum (*Corinth.* 207 pag.) deſcribit: *Signi ipſius ſola ſe facies, manus & imi pedes oſtendunt, partes cæteræ lanea tunica & pallio velantur.* diſtinguit tamen *Æſculapii*, *Hygiææ*, & *Teleſphori* ſtatuas *Ariſtides*, 1 tom. teſte *Morellio*, ad *Antonini* Pii N. 7 Tab. Videas *Sponium*, Recherches, curieuſ. 533 pag. ad *Caracallæ* N.

De *Iulio Quadrato* nihil.

CXLIX. CLAZOMENE, *Ioniæ*.

ΚΛΑΖΟΜΕΝΗ. *Clazomene*: Fœminæ turritum caput.

ΚΛΑΖΟΜΕΝΙΩΝ. *Clazomeniorum*: *Æſculapius* ſtans, innitens *baculo ramulis ſemiamputatis nodoſo* (ſic *Apuleius*, 1 Met. 104 pag) *cui ſerpens generoſus lubricis amplexibus inhæret.*

Clazomene Ioniæ fuit urbs maritima, *Gryna* prius dicta; à quâ *Apollo* (cujus hic ex albo lapide ſumptuoſum templum) *Grynæus*, ipſiusque nemus *Grynæum* nuncupatum: ſic enim de eo *Virgilius*, 6 eclog. 72 verſ.

His tibi Grynæi nemoris *dicatur origo*;
Ne quis ſit lucus, quo ſe plus jactet Apollo.

& de numine 4 *Æn.* 345 verſ.

Sed nunc Italiam *magnam* Grynæus Apollo
Italiam Lyciæ *juſſêre capeſſere ſortes.*

Erythris proxima, ſuper anguſtias poſita: in peninſula enim illinc *Teos* (cujus eſt 37 N.) & hinc *Clazomenæ*, frontibus diverſa maria proſpicientes. *Strabo*, 13 lib. 449 pag. hodiè *Urla* vel *Vourla*, ſive (ut alii) *Kelisman* nominata.

Clazomenes genius rurſus hic ſpectatur mulieris turrigeræ, & Amazonis propemodum, ſpecie. Hæc enim fortaſſe ut *Epheſus*, *Smyrna*, *Cume*, *Myrina*, *Paphe*, Amazonum excellens monimentum. Videas de hiſce *Strabonem*, 11 lib. 348 pag. apud *Petitum*, 31 cap.

De *Æſculapio* jam diximus.

CL. TEMNUS, *Æolidis.*

ΤΕΜΝΟΣ. *Temnus* Fœminæ turritum caput.

ΤΕΜΝΕΙΤΩΝ. *Temnitarum.* Pax læva cornu copiæ geſtans, dextra verò oleæ ramos retinens.

Temnus urbs *Æolidis*, parva ſed munita, & antiqua, mediterranea, ultrà *Hermum*, ad cognominem montem ſita. *Strabo*, 13 lib 427 pag. *nocturno terræ motu*, cum undecim aliis conlapſa, ab imp. *Tiberio* reſtituta & *in tempus tributis levata. Tacitus*, 2 Ann. 47 cap. & nummus apud *Patinum*, ad *Sueton.* 48 cap. cujus epigraphe: CIVITATIBUS ASIAE RESTITUTIS.

Nomen habet a τέμνω, *ſeco.* Quippe *Homallus*, accepto oraculo quo jubebatur oppidum condere ubi currus axis diſſecaretur, diſſecto eo urbis fundamina locavit. *Stephanus*, in *Temn.* Meminit ipſius *Cicero*, pro *Flacc.* 18 cap.

An

An *Temnus* quoque Amazonis fuerit opus ignoramus; ſaltem apparet hîc genius urbis, deûm matris facie. Dedimus ſimilium ad 69 N. ubi & *Romam* quandoque depingi turritam notavimus è *Sidonio*, qui de eadem ſic 2 carm. ad *Anthemium*, 391 verſ.

Laxatos torva capillos
Stringit, & incluſæ latuerunt caßide turres.

De Pace ſcripſimus obiter 155 pag. gerit autem modò ſpicas, modo & laurum, ſed frequentius oleam; de qua *Virgilius*, 11 *Æn.* 100 verſ.

Iamque oratores aderant, ex urbe Latinâ,
Velati ramis oleæ, *veniamque rogantes.*

imò plenius, 8 Æn. 115 verſ.

Tum pater Æneas *puppi ſic fatur ab alta,*
Paciferæ*que manu ramum prætendit* olivæ.

CLI. ASSORUM, *Siciliæ.*

ASSORU. *Cereris* ariſtis cinctum caput.

CHRYSAS: Juvenis nudus ſtans, læva copiæ cornu, dextra verò cantharum tenens.

Aſſorum Siciliæ non incelebre oppidum, inter *Ennam* & *Agyrinum*, ſedens in monte, cujus pedes alluit amnis *Chryſas. Fazelius*, Rer. *Sicular.* 1 lib.

De *Chryſa* en noſtri *Ciceronis* inſigne teſtimonium: Chryſas *eſt amnis, qui per* Aſſorinorum *agros fluit: is apud illos habetur* deus, *& religione maxima colitur. Fanum ejus eſt*

in agro, propter ipsam viam, qua Assoro *itur* Ennam: *in eo* Chrysæ *est* simulacrum *præclarè factum è marmore.* Hæc è 4 *Verrin.* 44 cap. Ita Veteres id omne à quo beneficia acceperant, Deum vocabant, & venerabantur. *Cicero*, 1 Nat. deorum, 2 cap.

Sed urnæ loco cantharum retinet hic fluvius; fortè quod aqua *Chrysæ* ut clara, ita & haustu salutaris & auxilia morborum conferens: quales enumerat *Plinius*, 31 lib. 2 cap. saltem potus aquæ antiquissimus & innocentissimus; secundum poëtas; ex gr. *Ovidium*, cujus hæc verba 3 Fast. 273 vers.

Defluit incerto lapidosus murmure rivus,
Sæpe, sed exiguis haustibus inde bibes.

Unde *Seneca* (Hippol 518 vers.) *Thesidem* & hæc, inter alia, exclamantem introducit:

Sollicito bibant
Auro superbi: quam juvat nuda manu
Captasse fontem!

Hinc illi ipsi populos & gentes eorumque sedes ac habitacula descripturi fluvialis aquæ potus meminere. Sic enim *Virgilius*, 7 *Æneid.* 715 vers.

Qui Tiberim Fabarim*que* bibunt.

& *Horatius*, 3 lib. 10 od.

Extremum Tanaim *si* biberes, Lyce.

Videantur & citatus *Virgilius*, 1 eclog. 63 vers. & 10 eclog. 65 vers. *Lucanus*, 8 Pharsal. 213 vers. & alii.

De

De *Cerere* ſuperius ad 100 N. cujus coronæ ſpiceæ quoque mentionem fecêre *Phurnutus*, Nat. Deor. 28 cap. & *Porphyrius* apud *Euſebium*, Præpar. Euangel. 3 lib. 11 cap. verum pulcherrimè *Ovidius*, 4 Faſt. 615 verſ.

Tum demum vultumque Ceres *animumque recepit*,
Impoſuitque ſuæ ſpicea ſerta *comæ*.

Sed quid miraris hic *Cererem* conſpici? cum tota *Sicilia* ei ſit conſecrata. *Cicero*, 4 Verrin. 48 cap. frumenti ferax, atque idcircò *cella penaria reip & nutrix plebis* Romanæ fuerit appellata. *Cicero*, 2 *Verrin.* 2 cap. *Valer. Maximus*, 7 lib. 6 cap. 1 exemp. Videantur & *Cicero*, pro leg. *Manil.* 12 cap. *Florus*, 3 lib. 19 cap. Sed de fertilitate ipſius eleganter (præter *Claudianum*, 1 Rapt. 196 verſ.) *Silius*, 14 lib. 23 verſ.

Multa ſolo virtus, *jam reddere ſemen* aratris,
Iam montes umbrare olea, *dare nomina* Baccho,
Cornipedem*que citum lituis generaſſe ferendis*,
Nectare Cecropias Hyblæo *accendere* ceras.

Hinc & *Siculi* delicati, atque opiparam ducentes vitam; & coquus *Siculus* in proverbio, apud *Athenæum*, 14 lib. 655 pag.

CLII. PHARNACES.

ΒΑΣΙΛΕ. ΦΑΡΝΑΚΟΥ. Regis *Pharnacis*: *Bacchus* πάνθεος, muliebri habitu, læva retinens *Mercurii* caduceum, *Fortunæ* que cornu copiæ: dextra verò racemos, quos alludens lambit tigris, appoſitis ſupra verticem, &, ad humerum dextrum,

trum, *Iovis* fulmine, & *Solis Lunæ*que notissimis astris.

Pharnaces Mithridatis, regis *Ponti* (à quo defecerat) filius; cujus & sic meminit *Lucanus*, 10 *Pharsal.* 474 vers.

> *Non* Thessala *tellus*,
> *Vastaque regna* Jubæ, *non* Pontus, *& impia signa*
> Pharnacis, *& gelido circumfluus orbis* Ibero
> *Tantum ausus scelerum.*

Qui quum, *magis discordiæ* civilis (inter *Pompejum* & *Cæsarem*) *fiducia, quam virtutis suæ infesto in* Cappadociam *agmine rueret, hunc* Cæsar *aggressus, uno prælio obtrivit*; *more fulminis quod uno eodemque momento venit, percussit, abscessit. Florus*, 4 lib. 2 cap. *Hirtius*, B. *Alexandrin.* 704 pag. *Suetonius*, in Cæs. 35 cap.

Bacchus (cujus nomen *Mithridates* superbis suis cognominibus adscripsit, uti 119 pag. scriptum) hic Πανθεος, quemadmodum *Isis* Πανθεα, cujus ipsius verba apud *Apulejum* (11 lib. Met. 258 pag.) observata dignissima: *En adsum tuis commota*, Luci, *precibus rerum* Natura *parens*; *elementorum omnium domina, seculorum progenies initialis* Et mox. *Cujus nomen unicum, multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur orbis. Me primigenii* Phryges Pessinunticam *nominant deûm Matrem*; *hinc autochthones* Attici Cecropiam Minervam; *illinc fluctuantes* Cyprii Paphiam Venerem; Cretes *sagittiferi* Dictynnam Dianam; Siculi *trilingues* Stygiam Proserpinam; Eleusinii *vesculam deam* Cererem, Junonem *alii*, Bellonam *alii*, Hecaten *alii*, Rhamnusii *alii*, &c.

prisca-

priſcaque doctrina pollentes Ægyptii, *cerimoniis me propriis percolentes, appellant vero nomine Reginam* Iſidem.

Ita eſt *Apollo* Πάνθεος, *Martiano Capella* ſcribente; qui (2 lib. de Nupt. Philolog.) *Solem* ſic alloquitur:

> *Te* Serapim *Nilus, Memphis veneratur* Oſirim,
> *Diſſona ſacra* Mythram, Ditem*que*, *ferumque* Typhonem,
> Atthys *pulcher item, curvi & Puer almus aratri,*
> Ammon *& arentis Lybies, ac Byblius* Adon.
> *Sic vario cunctus te nomine convocat orbis.*

Unde de diis ſuis mirè *Cicero*, 1 Divinat. 27 cap. *Quis tam cæcus in rebus contemplandis unquam fuit, ut non videret* ſpecies *iſtas* hominum *collocatas in* deos *aut conſilio quodam Sapientum, quo facilius animos imperitorum ad deorum cultum à vitæ pravitate converterent: aut ſuperſtitione, ut eſſent* ſimulacra, *quæ venerantes*, deos *ipſos ſe adire crederent. Auxerunt hæc eadem* poëtæ, pictores, opifices. Videantur *Antonini* Pii Nummus apud *Arſchotanum*, 40 Tab. in quo *Serapidis* capiti Cornu *Jovis Ammonis*, Tridens *Neptuni*, Serpens *Æſculapii* ſunt appoſita: aliuſque *Albini* apud *Triſtanum*, 42 pag. exhibens hominum velatum & nudum, qui *Solis, Mercurii*, & *Neptuni* gerit arma & attributa.

De fulmine autem ſcripſimus ad 8 N. de caduceo ad 72 N. de racemis & tigride ad 109 N. de mulieris habitu ad 17 N de ſolis aſtro radiato ad 42 N. de luna creſcente ad 103 N. denique de cornu copiæ 115 ad N. Videatur interim & *Claud. Nicaſius*, de *Pantheo* N. imperatoris *Hadriani* differens.

CLIII. OTHO.

IMP. M. OTHO CAES. AUG. *Othonis* nudum caput.

S. A. intra lauream.

Marcus Otho natus est è principibus *Hetruriæ*, genere materno nobilior: homo nimis elegans & mollis, corporis studiosus, galericulum quoque capiti, propter capillorum raritatem, adoptans. Post *Neronis* mortem apud *Bebriacum*, (inter *Veronam* & *Cremonam* ignobile oppidulum) cum *Vitellio* congressus impar, sese ipsum confodit, atque ita in imperio documentum sui non ostendit. *Dio*, 64 lib. *Suetonius*, 11 cap. *Plutarchus*, in vit. 151 pag. *Victor*, epit. 15 cap.

Mollitiem & munditias ipsius pœnè muliebres argutè traducit *Iuvenalis*, 2 sat. 99 vers.

> *Ille tenet* speculum *pathici gestamen* Othonis,
> Actoris Arunci *spolium*; *quo se ille videbat*
> *Armatum, cum jam tolli vexilla juberet.*
> *Res memoranda novis annalibus atque recenti*
> *Historia*, speculum *civilis sarcina belli.*

Galericuli meminit *Suetonius*, 12 cap. Illa autem non è consutis capillis humanis (ut hodiè *perruques*) sed ex animalium pellibus suis pilis contectis, in formam galeri (nunc *calottes*) præparata. Testes habemus *Martialem*; qui ad calvitiem dissimulantem sic 12 lib. 45 epigramm.

> *Hædinâ tibi* pelle *contegenti*
> *Nudæ tempora verticemque calvæ,*

Fe-

Festivè tibi, Phœbe, *dixit ille*,
Qui dixit caput *esse* calceatum.

& *Avienum*; cujus hæc:

Nam mox dejecto nituit frons nuda galero,
Discolor apposita *quæ fuit antè* coma.

Videantur & *Seneca*, de Constant. Sap. 18 cap. & *Tertullianus*, de cultu Fœmin. 2 lib. 7 cap. præter ea quæ superius ad 45 N.


Mortem ejus voluntariam *Martialis*, 6 lib. 32 epigr. hoc modo laudat:

Cum dubitaret adhuc belli civilis Enyo,
Forsitan & posset vincere mollis Otho,
Damnavit multo staturum sanguine Martem,
Et fodit certâ pectora nuda manu.
Sit Cato, *dum vivit*, *sane vel* Cæsare *major*,
Dum moritur nunquid major Othone *fuit?*

S. A. nummum ab *Antiochenis* percussam significant; de quorum moneta diximus ad 119 N.

Cæterum numisma hoc æreum, secundi (sicut ajunt) moduli, valore & pretio nummorum qualiumcunque ingentes superat acervos: frustrà enim *Henr. Thom. Chifletius* (lib. de *Othonibus* ær.) eruditis persuasit (at ab opinione postmodum recessit) nummos *Othonis* (cujus breve imperium, 95 nempe dierum) æreos nullibi posse exhiberi sinceros & minime dubios; quandoquidem eos hodiè in *Romanorum, Venetorum, Parisianorum*que procerum gazophylaciis conservari scriptis testentur *Petr. Seguinus, Car. Patinus*, & *I. B. Capponius*.

Et quamobrem *Senatus* (penes quem, ſub *Cæſaribus*, æris *Romæ* ſignandi facultas manſit) in *Othonis* honorificam memoriam numiſmata non percuſſiſſet? quandoquidem ipſi ab eo decreta cuncta, quæ novis principibus decerni ſolent. *Tacitus*, 1 Hiſt. 47 cap. Unde *Otho*, apud eundem 84 cap. liberrimè ad milites: Senatus *nobiſcum eſt*.



IN-

INDEX
RERUM.

INDEX RERUM.

D.

Dia-

INDEX RERUM.

dea-

I.

N.

O.

aquila

est

INDEX RERUM.

S.

Ægæ,

INDEX RERUM.



E R R A T A.

Pag. 2	lin. 17	*dedit quæ*, ſcrib. *qui.*
3	24	*Plinio*, 2 *lib.* 39 *c.* ſcrib. 10 *lib.* 4 *c.*
4	14	*Livium*, 44 *lib.* 6 *cap* ſcrib. 42 *cap.*
6	6	*Apotheol.* ſcrip. *Apotheoſ.*
7	21	*Alexandr. Exp.* 30 *c.* ſcrib. 30 *pag.*
10	6	2 *lib.* 14 *c.* ſcrib. 41 *cap.*
	22	*qp* ſcrib. *q* .
12	19	*Solinus*, 45 *c.* ſcrib. 57 *cap.*
13	6	*profiſceretur.* ſcrib. *proficiſceretur.*
	16	*Curt.* 3 *lib.* ſcrib. 4 *lib.*
	17	*Arrian.* 1 & 6 *lib.* ſcrib. 1 & 4 *lib.*
14	5	*Plutarchus.* ſcrib. *Plutarchum.*
15	11	19 *lib.* 35 *cap.* ſcrib. 51 *cap.*
16	20	*Balaria.* ſcrib. *Bazaria.*
22	4	*ſidero.* ſcrib. *ſidera.*
	6	*ſymbolum*, *Bæotiæ.* ſcrib. *ſymbolum, quæ Bæotiæ.*
	19	35 *lib.* 9 *cap.* ſcrib. 34 *lib.* 8 *cap.*
23	19	*Denique inter* ſcrib. *Dinque.*
	23	*Primo loco.* ſcrib. *Prima.*
25	17	10 *Iliad.* ſcrib. 12 *Iliad.*
26	8	23 *Tab in Macedonum.* ſcrib. 22 *Tab.*
	15	44 *epigr.* ſcrib. 43 *epigr.*
	24	3 *lib.* 98 *cap.* ſcrib. 97 *cap.*
	26	8 *Metam.* 29 *verſ.* ſcrib. 25 *verſ.*
28	20	*aſſignata ſunt.* ſcrib. *aſſignatæ.*
30	11	*Aſtronom. cap. de Ariete.* ſcrib. 133 *Fab.*
	24	*Differt.* 287 *pag.* ſcrib. 286 *pag.*
47	14	*Byzante* (*quam.* ſcrib. *quem.*
61	23	*ille* (*cus Rhode.* ſcrib. *ille cui* (*Rhodo.*
69	14	ΠΟΛΥΡΕΝΙΟΝ. ſcrib. ΠΟΛΥΡΗΝΙΟΝ.
81	18	*Hercules Nemæum.* ſcrib. *Hercule.*
85	11	*Corcyæorum* ſcrib. *Corcyræorum.*
107	7	*eoſque dediti.* ſcrib. *eouſque.*
112	8	ΥΟΣ. ſcrib. ΥΙΟΣ.
127	20	*tertius rex.* ſcrib. *quintus.*
164	16	*Spanhem.* 9 *can.* ſcrib. 6 *can.*
165	27	2 *leg.* ſcrib. 2 *eleg.*
174	1	*omnius primus.* ſcrib. *omnium primus.*
178	1	*poeta Tragici.* ſcrib. *poetæ.*
190	20	2 *lib.* 8 *lib.* ſcrib. 8 *cap.*
193	15	1689 ſcrib. 1688.
196	18	ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙ ΤΥΤΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑ. *Domitianus & Titus Imperatores.* ſcrib. ΤΥΤΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙ. *Titus Imperator. Domitianus Cæſar.*
208	15	*uti* 119 *pag. ſcriptum.* ſcrib. 49 *pag.*
209	20	*exhibens hominum velatum.* ſcrib. *hominem.*
210	4	*S. A.* ſcrib. *S. C.*
211	16	*S. A.* ſcrib. *S. C.*




ΑΜΥΝΤΑ
ΠΥΔΝΑΙΩΝ
ΔΙ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΦΙΛΙΠΠΟΥ
ΠΥΔΝΑΙΟΝ
ΦΙΛΙΠΠΟΥ
ΠΥΔΝΑΙΩΝ
Β
Α
Φ
Δ
ΔΙ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΦΙΛΙΠΠΟΥ


ROMA


ΦΙΛΙΠ
ΠΟΥ
N
9
Æ
E
10 Æ Δ
11
Æ
H
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ
ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ
12
Æ
E
14 Æ E
ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ
B
ΝΕΩΚ
13
Æ
E




15
Æ
Δ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ
16 Æ Δ
Β Α
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ
17
Æ
Γ
ΒΑ.ΣΙ
18
Æ
Γ
Β Α
19 Æ Β
ΒΑΣΙ
21.
Æ
Β
Α Β
Α Σ


ROMA



ROMA

TAB IV


ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ
22
ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
23
20
Β
Α
ΣΕΛΕΥΚΟΥ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
24
26
ΣΕΛΕΥΚΟΥ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
25
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΑΝΤΙΟΧΟΥ
ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ

TAB V


27
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΑΝΤΙΟΧΟΥ
ΑΓΡΙΠΑ
30
28
ΑΣΥΛΟΥ
ΡΟΑ
ΚΡ
29
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΑΝΤΙΟΧΟΥ
ΘΕΟΥ
ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ
ΑΝΤΙΟΧΕ
ΕΤ ΗΡ
31
ΙΩΤΑΠΗ
32



ROMA



ROMA

TAB. VI



33
ΒΥΖΑΝ
ΚΑΛΧΑ
37
ΤΗ
ΙΩΝ
34
ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ
ΤΩΝ
ΕΝ ΠΙΕΡΙΑΣ
35
Ε
Φ
ΜΑΝΤΙΚΡΑΤΗΣ
38
36
Ω
ΚΝ
Μ
ΝΩ




39
Æ
Γ
ΑΜΙ ΣΟ
40
Æ
Γ
ΑΜΑΣ ΣΕΙ
41
Æ
Γ
ΜΗΝΟΔΩΡΟΣ
Ρ Ο
42
Æ
Γ
ΚΑΛΛΙΣΘΕΝΟΣ
Ρ Ο
43
Æ
Γ
ΑСΜΕ ΝΟС
ΧΙΟС
44
Æ
Β
ΜΗΝΟΔΟΡΟΣ
ΧΙ ΟΣ


ΙΟΥΛΙΑ ΠΡΟΚΛΑΝ ΗΡ
45
ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ
ΙΠΠΙΑΣ
49
46
ΥΡΗΝ
ΠΟΛ ΙΟΝ
ΗΡ
47
ΑΙΓΑΕ
50
Α
ΑΒΔ
ΗΡΙ
ΤΕ
ΩΝ
48
ΦΙ


ROMA


51
Æ
Δ
ΔΥΡ
ΠΟΥ
ΜΕΝΙΣΚΟΣ
55 Æ Γ
52
Æ
53
Æ
Γ
ΔΥΡ
ΝΙΑ
ΠΑΥ
56 Æ Γ
54
Æ
Δ
ΟΡ





57 Æ E





61 Æ Δ



58 Æ Δ







59 Æ E






62 Æ Γ




60 Æ Δ







TAB. XI




ΘΕCCΑΛΟ
ΝΕΙΚΕΩΝ
69
Æ
Δ
ΚΑΒΕΙΡΟC
73
Æ
Γ
ΘΕΣ
ΣΑΛΟ
ΝΙΚΕ
ΩΝ
Æ
Δ
ΘΕΣΣΑΛ
ΟΝΙΚΗ
ΘΕΣΣΑ
ΛΟΝΙΚΗΣ
Æ
Δ
72
Æ
Δ
ΘΕΣΣΑΛΟ
ΝΙΚΗΣ
74
Æ
Γ
ΘΕΣΣΑ
ΛΟΝΙΚΗ


BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA



75
Æ
Γ





77 Æ





76
Æ
Γ





78
Æ
Δ



79
Æ
Δ





80
Æ
Δ



81
Æ
Γ



TAB. XIV




ROMA


ΑΥΚ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ
88 Æ I
ΘΕϹϹΑΛΟ ΝΙΚΕΩΝ
ΑΥΚ. Μ. ΑΥ ΝΟϹ
90 Æ I
ΘΕϹϹΑΛΟΝΙ ΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ
ΑΥΚ. Μ. ΑΥΡ ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ
89 Æ I
ΘΕϹϹΑΛΟ ΝΙΚΕΩΝ
Μ. ΑΥΡ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟϹ ΚΑΙϹΑΡ
91 Æ I
ΘΕϹϹΑΛΟ ΝΙΚΕΩΝ
ΑΥΤ ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ
93 Æ I
ΘΕϹϹΑΛΟΝ ΙΚΕΩΝ ΝΕΩ
ΑΥΚ Μ ΑΝΤ ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ
92 Æ I
ΘΕϹϹΑΛΟ ΝΙΚΕΩΝ




ROMA



94 Æ 2





97 Æ 2



95 Æ 2







96 Æ 2





98 Æ Δ




99 Æ 2





TAB. XVII.



100 Æ Γ
101 Æ Δ
102 Æ Β
103 Æ Ε
104 Æ Ε
105 Æ Β
ΚΑΙCΑΡ
ΝΕΡΩΝ
ΒΕΡΟΙ
ΑΙWΝ
Η
CΕΒΑCΤΗ







106 Æ 2





110 Æ Γ



107 Æ 2







108 Æ 2





111 Æ Γ



109 Æ 2






ROMA

ΤΟϹ ΑΝΤΩΝΙΝ
112 Æ Ε
ΕΠΙ ΝΙΝΙΛΙΑΝΟΥ ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ

ΑΥΚΜ ΑΝΤΩΝ ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ
116 Æ Δ
ΜΗΤΡΟΠ ΑΝ ϹΝΕ ΕΤ Ζ

ϹΕΠΤΙ ΓΕΤΑϹΚ
113 Æ Γ
ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ

ΙΟΥΛ ϹΑ ϹΕΒ
114 Æ Δ
ΑΜΦΙΠΟΛΕΙΤΩΝ

ϹΑΒΕΙΝΙΑΝ ΤΡΑΝΚΥΛΛΕΙΝΑΝ ϹΕ
117 Æ Η
ΤΑΡϹΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ Α Μ Κ Γ Β

ΕΑΝΤ ΙΑΝΟϹ ΑΥΓ
115 Æ Γ
ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ

TAB. XX.




ROMA



124 Æ r





128 Æ r



125 Æ Δ







126 Æ E





129 Æ r



127 Æ Δ













130 Æ



134 Æ





131 Æ







132 Æ



135 Æ





133 Æ





136 Æ E





138 Æ Z



137 Æ Z







139 Æ Z





141 Æ E




140 Æ Δ







BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA


CMYPNA
CMYPNAAI
ΩN
142
Æ
Δ


IEPACV
NKΛΗΤΟC


143
Æ
Y
NIKAΔIOΣ
ΣMYPNA


144 Æ E
CMYPNAI
ΩN Γ NEΩ
KOPΩN



ΔOMITIANOC KAI TYTOC AYTOKPA
145
Æ
Δ
CMYPNAIΩN


AY M AVP CEO
VAAC


ANTΩNEINOC
146
Æ
Θ
EΠICTPAIA
CAΛΛΩNIΩN


147 Æ E
CMYPNAI
ΩN Γ NEΩ
OPΩN


Tab. XXV



ΙΟΥΛΙΟΣ ΦΙΛΙΠΠΟΣ
148 Æ Η
ΕΠΙ ΙΟΥΛ ΚΟΔΡΑΤΟΥ ΥΙΟΥ ΙΠΠΑΡ
ΚΟΤΙΑΕΩΝ
ΤΗ ΜΝΟΣ
150 Æ Γ
ΚΛΑ ΖΟΜΕΝΗ
149 Æ Γ
ΚΛΑΖΟ ΜΕΝΙΩΝ
ΤΗΜΝ ΕΙΤΩΝ
152 Æ Ε
ΒΑΣΙΛΕ Ω ΦΑΡΝΑΚΟΥ
ΑSSORV
151 Æ Δ
CAES AVG IMP. M. OTHO
153 Æ Δ
S C
CRYSAS


ROMA

NVMMOPHYLACIVM. IACOBI. DE. WILDE.






EXTRVCTVM.
OLYMPIAD.DCXVI.ANN.IIII.
VRB.COND.MMCCCCXXXXI.
SALVT.MDCLXXXIX.

CORN. VISSER. PINXIT. SCHOONEBEECK. ÆRI. INSCRIPSIT.



ROMA



NVMMOPHYLACIVM.IACOBI.DE.WILDE.

CORN. VISSER. PINXIT. SCHOONEBEECK. ÆRI. INSCRIPSIT.


NVMMOPHYLACIVM . IACOBI . DE . WILDE
EXTRUCTVM.
OLYMPIAD.DCXVI.ANN.IIII.
VRB.COND.MMCCCCXXXXI.
SALVT.MDCLXXXIX.
CORN. VISSER. PINXIT.
AD. SCHOONEBEECK. ÆRI. INSCRIPSIT.



NVMMOPHYLACIVM. A LATERIBVS. IACOBI. DE. WILDE. CONSPICIENDVM.

CORN. VISSER. PINXIT. AD. SCHOONEBEEK. SCU. INSC







